



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quæstiones Canonicae De Decimis

Friderich, Melchior

Ingolstadii, 17010 [i.e. 1710]

Caput I. De Obligatis ad Decimas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61677)

lum gerendum, & pro alijs publicis necessitatibus contribuendum sit, singuli ex Justitia tenentur illam quantitatem dependere. Igitur contra Justitiam peccarent, non tantum ij, qui nullas solverent decimas; sed illi quoque, qui eam solum partem, quæ præcise ad alendum Parochum necessaria est, reliquam vero, quam Parochus in pauperes, & fabricam Ecclesiæ applicare tenentur, ipsimet ad dictos fines applicarent. Consequens est II. Jus decimandi esse spirituale, ut cum S. Thoma 2. 2. q. 87. a. in c. docent Theol. & Canon. omnes: quia Ministris Ecclesiæ decimæ debentur titulo spirituali. Consequens est III. bene agere Clericos, qui decimas ad Laicos de-

voluntas vindicant, nisi Laici iusto se titulo tueri possint. IV. sequitur, bene eisdem agere, si non sinant consuetudinem induci, vi cuius postea decimæ aut omnino non, aut non integræ, & non ex omnibus fructibus solvantur. V. sequitur, vanas esse de decimis, & opibus Ecclesiasticis querelas & criminationes Hæreticorum, ac quorundam, plerumque tamen deterioris vitæ, Catholicorum, quibus semper nimium est, quod Clerus possidet. Unde rursus confectarium est, non inutiliter imitatos nos esse S. Thomam, aliósque gravissimos Doctores, disputando de æquitate præcepti, quod Ecclesia de decimis solvendis dedit.

PARS II.

De Causa Efficiente Proxima Decimarum.

CAPUT I.

De Obligatis ad Decimas.

QUÆSTIO I.

Quam universim teneantur solvere decimas?

SUMMARIUM.

11. Decimæ Personales plerisque in locis sunt abrogatæ.

12. Prædiales debentur ex omni-

bus fundis alicui Ecclesiæ subjectis.

13. Personales ab omnibus, qui Sacramenta percipiunt.

Ex

Explicatâ causâ decimarum Efficiente Remotâ, quæ est Lex: exponenda nunc est Proxima, quæ sunt fideles, qui eas dant. Et si enim Decimæ sint fructus, hi verò potius Naturæ, quàm industriæ humanæ opus sint; antequam tamen decima pars à cumulo fructuum separaretur, & pendatur, rationem decimæ non habet. Unde cum separatio, & pensatio fiat ab homine, hic potius, quàm terra, vel Natura, ejusdem effectrix causa dicendus est. Quæstio autem hæc est non solum de Realibus decimis, sed etiam de Personalibus. Quamvis enim istas nuspian ferè Gentium pendi asserant Gudelin. *de Jure Noviss. l. 6. s. 13. dub. 3.* Card. de Luca *discurs. 18. de Decim. n. 16.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 1. tr. 2. c. 91. n. 4.* Valent. *tom. 3. d. 6. q. 5. pun. 3.* Palao *tr. 10. d. un. pun. 6. n. 10.* Azor *p. 1. Inst. Mor. l. 7. c. 24. q. 9.* Laym. *l. 4. Th. Mor. tr. 6. c. 4. n. 1.* Canis. *de decim. c. 7. n. 4.* Wagnereck *in c. 7. h. t. not. 3.* ac passim alij: revera tamen in defuetudinem multis in locis non abierunt. Nam in quibusdam Hispaniæ Regionibus solvuntur ex salarijs famulorum & famularum, teste Navarro *in Man. c. 21. n. 31.* Guttier. *99. can. c. 21. n. 34.* & Rota Rom. *apud Barbosa de offic. Par. c. 28. s. 2. n. 27.* Venetijs, teste Lessio *l. 2. c. 39. n. 27.* solvuntur in fine vitæ, alibi in fine anni. Sunt quoque hæc Ingolstadij ejusque vicinia in usu: nam singulis annis ostiatim colli-

guntur mense Decembri, vulgò dicitur Leut: Pfening / vel Leib: Pfening / quòd de persona, seu corpore solvantur. Decimas quoque personales esse existimo illos nummos, dicitur Reich: Kreuger / qui multis in locis Parocho penduntur à confitentibus tempore Paschali. De his quoque personalibus Decimis quæstio est, à quibus debeantur. Et quidem primò inquirimus, quinam in genere ad solvendas decimas obligentur: postea descensuri ad quosdam personas in specie, de quibus dubitari potest, an huic tributo sacro sint subiectæ.

Affert. I. Ad decimas prædiales tenentur omnes, qui titulo non spirituali habent fundos alicui Ecclesiæ subiectos: nisi legitimo aliquo titulo sint exempti. Patet ex *can. 65. & 66. 16. q. 1. can. 1. q. 5. 7. 8. 16. q. 7. cit. 9. 87. a. 1. & 4. c. 7. de Pact. c. 4. 6. 8. 21. 22. 26. 30. 32. h. t.* aliisque Juribus propè innumeris. Dixi: nisi legitimo titulo sint exempti. Quæ limitatio habetur *c. 24. h. t. ibi: respondemus, quòd à dantibus & recipientibus possessiones ad firmam* (seu locatas pro pensione certa, & firma, ut explicat Cuiacius *ad c. 2. de locato*) *de fructibus, quos percipiunt, decima sunt solvenda: nisi ab eis ostendatur, quare ab hujusmodi sint immunes.* Quibus verò modis hæc exemptio acquiratur, dicemus capite seq.

Affert. II. Decimæ Personales solvendæ sunt ab omnibus, qui ab Eccle-

Ecclesia Sacramenta percipiunt. Hæc quoque assertio certa est, & instar regulæ traditur *c. 21. 23. 28. h. r. can. 66. 16. q. 1. & 9. 7. can. 4.* ac sæpe alibi. Ratio cur personales quoque decimæ Ecclesiæ in Lege Nova debeantur, etsi fortè in antiqua non fuerint præceptæ, patet tum ex dictis *n. 46. & seqq.* tum ex eo, quòd fideles debent stipendium ijs, quorum ministerio in spiritu

aluntur. Unde cùm multi illorum fundos, ex quibus decimas dare possint, non possideant, consequens est, debere suæ obligationi satisfacere de lucris suæ industriæ. Ex quo tamen non sequitur, solutos ab harum decimarum onere esse, qui solvunt reales, ut patet ex dictis *suprà cit. n. 46.* & ex S. Thoma *q. 87. art. 2. ad 1.* ac latè explicatur à Suarez *c. 11. n. 17. & 18.*

QUÆSTIO II.

An Infideles teneantur solvere decimas?

SUMMARIUM.

54. Infideles qui dicantur.
 55. 56. 57. Videtur, obligatos esse Infideles ad decimas.
 58. Non tenentur ad Personales.
 59. Nec Catechumeni, nisi ex Christiano Parente sint nati.
 60. Tenentur ad Prædiales ex fundis olim à Christiano possessis.
 61. Non verò ex alijs.
 62. 63. 64. Corollaria ex dictis.
 65. 66. 67. Responsio ad opposita.
14. Infidelium nomine hîc intelligimus illos, qui baptizati non sunt, puta Idololâtras, Mahometanos, & Judæos: nam hos tantùm sacra Jura, & Canonis dicunt Infideles, reliquos verò à Fide vera devios dicunt Hæreticos.
55. Ad Decimas non prædiales solum, sed etiam personales obligari Infideles, tenent Glossi. *in c. quanto de usur. & in c. Decima 16. q. 1. Ancharan. in c. 16. h. r. Rebuff. tr. de Dec. q. 5. n. 11.* Rationes sunt I. Quia decimas, ut dicitur *c. 26. h. r. Deum in signum universalis domi-*
56. II. Etsi Infideles non percipiunt Divina in Ecclesia, tenentur tamen dei Præcones recipere

D &

& sequi, & quod consequens est, eosdem alere juxta dicta n. 29. cum ergo decimæ sint institutæ pro alendis Ministris Numinis, qui fidem promulgant, sequitur, etiam Infideles ad eas obligari: maximè quia Ecclesia, ut observat Suar. l. 1. c. 16. n. 10. in mittendis ad conversionem Gentium Prædicatoribus Evangelij magnos sumptus facit, ac hos consequenter ab ipsis gentibus potest exigere, eò quòd ipsi jure etiam naturali ad eos alendos teneantur, à quibus in Spiritu aluntur.

57 III. Saltem Judæi, aliique Infideles, qui inter Christianos habitant, obligatione solvendi decimas tenentur, quia impediunt, ne Christiani habitent, & sic defraudant Ecclesiam personalibus decimis, quas perceptura esset à fidei ibi habitante. Ita Panorm. in c. de terris h. t. n. 6. Unde infert, etsi Judæi per se non obligentur ad decimas personales, teneri tamen ad compensationem ejus, quod Ecclesia perceptura esset à Christianis, qui ibi, ubi nunc sunt Judæi, habitaturi essent. Idem sentire videtur Gloss. in c. 27. h. t. v. Prætextu. Et probabile esse censet Schambogen h. t. n. 22. Sumitur ex c. 18. de usur. ibi: *Hac eadem pœnâ Judæos decernimus compellendos ad satisfaciendum Ecclesijs pro decimis, & oblationibus debitis, quas à Christianis de domibus, & possessionibus alijs percipere consueverant, antequam*

ad Judæos quocumque titulo pervenissent: ut sic Ecclesia conservetur indemnes. At non conservantur indemnes, nisi Judæi solvant decimas etiam personales, quas illæ aliàs à Fidelibus fuissent percepturæ.

Assert. I. Infideles non obligantur ad solvendas decimas personales. Ita docent Gloss. in c. de terris & c. Decima 16. q. 1. Sotus l. 9. de Just. q. 4. art. 4. Azor. p. 1. l. 7. c. 249. 3. Suar. c. 16. n. 2. & Gab. Valq. tr. de Benef. c. 1. dub. ult. Barros. de offic. Par. c. 28. §. 3. n. 3. Fagundez in 5. Præcept. Eccl. l. 2. c. 1. a. n. 4. Em. Gonzalez in cit. c. 16. h. t. n. 2. Hunn Encyclop. p. 2. tit. 2. n. 36. ubi ait, hoc esse extra controversiam, ac passim alij. Veritas assertionis desumitur I. ex c. 23. h. t. ibi: *quia fidelis homo de omnibus, quæ licite potest acquirere, decimas erogare tenetur.* Non ergo tenetur Infidelis: quid enim exprimitur Fidelis, si sine discrimine tenetur Fidelis, & Infidelis? Et c. 16. eod. dicitur, *Judæos compellendos esse ad solvendas decimas de terris, quas colunt.* Non ergo ad personales. Idem habetur cit. c. *Quantò de usuris.* II. Si hac obligatione tenerentur Infideles, tunc vel vi Juris Naturalis, vel Divini positivi, aut Ecclesiastici Non Naturalis: quia etsi ipsa Naturalis obliget ad colendum Deum, & venerandum supremum Ejus dominium, non tamen obligat ad hunc certum modum per oblationem

tem Decimarum. Et licet eadem obliget ad alendos Superiores spirituales, & Pastores: Ministri tamen Ecclesiæ non sunt Infidelium Pastores, & Rectores, cum illi non sint membra Ecclesiæ nec Spiritualia ipsis ministrantur. Unde in ipsis deficit ratio naturalis, quam explicavit Christus, cum diceret: *dignus est Operarius mercede sua*. Neque obligantur præcepto Divino: non quidem illo veteri Legis Mosaicæ; quia hoc solis Judæis datum, & per Legem Novam Christi fuit extinctum. Neque Novo: quia nullum in Novo Testamento fuit datum. Hinc male ait Schambogen *l. c. n. 20*. Judæos adhuc teneri solvere decimas, cum adhuc veteri Legi Divina subjaceant: nam extra controversiam falsum est, Judæos etiamnum obligari Lege Mosaicæ, ut fuse demonstrat Suarez de Leg. *l. 9. c. 10. n. 16.* & Gibalin. *l. 4. Scient. Canon. c. 4. q. 2. à n. 14*. Non denique Jure Ecclesiastico ad decimas obligantur Infideles, cum duntaxat per Baptismum ingrediamur Ecclesiam, ejusque jurisdictioni subjiciamur, juxta illud Apostoli *1. Cor. 5. v. 12. Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, judicare?* Quæ verba ad solvendas à Jurisdictione Ecclesiæ Infideles afferuntur *c. 8. de divort. c. 18. 2. q. 1.* & Trident. *Sess. 14. c. 2*. De quo late Card. Lugo de fide disp. 20. sect. 4.

59 Ex dictis infero cum Suarez *c. 16. n. 3*. neque Catechumenos, etsi omnia credant, quæ Catholici cre-

dimus, ad dandas decimas personales obligari: quia sola fides absque caractere, & solenni fidei professione, quæ fit in susceptione Baptismi, non subjicit quemquam præceptis Ecclesiæ. Sermo autem hic solum est de catechumenis, qui sunt filij parentum infidelium, & sponte veniunt ad Ecclesiam: nam filij Christianorum, ut bene observat idem eximius Doctor *l. c. vi* originis subduntur Ecclesiæ propter characterem parentum, & per voluntatem, seu obligationem eorum. Nam si etiam alteruter tantum ex conjugibus infidelibus convertatur ad fidem, proles etiam ante ejusdem conversionem nata, & nondum doli tum capax, tenetur sequi fidem patris, vel matris conversæ, ita ut ad eam compelli possit, ut patet ex *c. ult. de Convers. Infid. & can. 63. Concil. Tolet. IV.* qui refertur *c. Judæi 10. 28. q. 1.* quia eo ipso, quod alteruter conjux est fidelis, habet Ecclesia jus ipsum compellendi, ut prolem doli non capacem baptizet, & Christianis dogmatis imbuat, ut traditur *cit. can. 10*. Unde si contingat filium parentum fidelium habere dominium aliquod, & fructus ex eo, vel lucra ex sua industria, habebit, etiã antequam baptizetur, obligationem solvendi decimas, quia tanquam baptizatus censetur.

Assert. II. Infideles obligantur ad solvendas decimas prædiales ex fructibus possessionum, quæ sunt

in terris Christianorum, & quæ iam olim erant Christianorum dominio, ac oneri decimarum subiectæ. Non verò tenentur ex illis possessionibus, quæ à Christianis nunquam fuerant detentæ. Prima assertionis pars deciditur *c. 16. h. t. c. 18. de Usur. nec non c. 17. de Excess. Pralat.* Quæ decisio, cum de aliquibus saltem decimis procedat, de illis certè possessionibus intelligi debet, ex quibus antiquitus, antequam ad Infideles pervenirent, Ecclesia decimas collegit. Ratio est, quia decimæ debentur à Fidelibus ex fructibus fundi, sùntque post divisionem Parochiarum, ac Dioecesium singulis earum prædia, ex quibus decimas colligant, assignata. Et idcirco onus decimarum est reale, videlicet prædijs annexum. Atqui res transit cum suo onere. Ergo si prædium, habens annexum onus decimarum, transit in infidelem, pariter transit onus annexum. *arg. l. 7. ff. de Publican. & Vectig.*

61 Altera assertionis pars, videl. Infideles non obligari ad decimas ex possessionibus, ex quibus illæ antea non fuerant solutæ, etsi non certa, ut prior, est tamen communissima DD. contra Panor. in *c. 16. ubi n. 5. cum Oldrado consil. 91.* tenet, atque, firmiter se credere, omnes Infideles, ubicunque degant, debere Ecclesiæ decimas prædiales, & ad eas solvendas cogi posse. Quæ profectò ratione bellum quibuscunque Infidelibus Christiani

Principes inferre licitè possent, exigendo videl. nomine Ecclesiæ, cuius Filij ac Defensores sunt, decimas ipsi debitas, & à recusantibus eas vi & armis extorquendo. Rationem dat: quia Deus universaliter sibi reservavit decimas omnium rerum, & totius orbis *arg. c. 25. h. t.* Et licet eas solùm Levitis dari præceperit; ex quo tamen hodie Sacerdotium translatum est in Christianos, oportet, ut etiam legis translatio fiat. *c. Translato de constit.* Præterea Christus constituit tantum unum ovile, & unum Pastorem, ita ut nemo ab hoc ovili, seu Ecclesia universali, & ab ejus legibus separare se possit. Hanc tamen opinionem Sotus *cit. art. 4.* ait nulla probabilitate fulciri; *Suar. c. 16. n. 8.* falsam & improbabilem asserit, acri præter morem censurâ. Certè jura sacra ob stare videntur: nam *cit. c. Quantò de usur.* dicitur compellendos esse Judæos ad satisfaciendum Ecclesijs pro decimis & oblationibus debitis, quas à Christianis de domibus, & possessionibus alijs percipere consueverant, antequam ad eos quocunque titulo devenissent: non ergo de possessionibus, ex quibus Ecclesia non consueverat aliquid percipere, antequam ad Infideles devenissent. Præterea juxta *c. 16. h. t.* compellendi sunt Judæi ad decimas persolvendas, vel possessiones penitus renuntiandas, ne forte occasione illâ Ecclesia valeant suo jure fraudari. Igitur ex illis

illis solum possessionibus Infideles debent decimas, in quibus jus aliquod habet Ecclesia. Atqui hæc non habet aliquod jus in prædijs, quæ sunt in dominio Infidelium, & nunquam fuerunt in dominio Fidelium: nam præceptum divinum olim pro Levitis datum non transijt ad Christianos. Quod verò omnes tenentur se aggregare ovili Christi seu Ecclesie, non probat, quod hæc aliquod jus habeat in terras Infidelium, aut quod isti peccent contra Justitiam, & jus Ecclesie, dum aut terras occupant ejus jurisdictioni antea nunquam subjectas, aut fidem non recipiunt; sed tantum, quod contra ipsam fidem, & propriam salutem.

62 Ex dictis consequens est I. quod Infideles neque ad decimas prædiales obligentur per se, & obligatione personali, ut obligantur Christiani; sed tantum, quod obligatione reali, prædijs, quæ possident, annexa: quæ obligatio respectu huius, & illius personæ est solum per accidens.

63 II. Sequitur, quod in terris, quæ ultimis duobus seculis in Africa, Asia, & America, per Europæos occupatæ, & antea nunquam à Christianis fuerant possessæ, Infideles, etsi jurisdictioni Christianorum subiecti, nullas debent decimas.

III. Sequitur, quod in terris olim per Christianos cultis, & decimarum oneri subiectis, ac ad Saracenos bello injusto devolutis, ac rursus per Christianos Principes vindicatis, uti

factum est olim in Palaestina, ac Ægypto, & proximo bello Turcico in Hungaria, Sclavonia, Croatia, Podolia, Dalmatia, Peloponeso, seu Morea &c. Turcæ, siqui etiamnum ibi fundos possiderent, cogi ad solvendas decimas prædiales possent. Imò absolutè, & in rigore cogi poterunt etiam illi Infideles, qui etiam inter Christianos non habitant, in terris tamen, quas Christianis injusto bello rapuerunt, ac detinent. Quod etsi Suarezius putet nonnullam solum probabilitatem habere, reverà tamen consequitur ex recepta ab omnibus assertionem factam *n. 60. & can. 13. 16. q. 3. ac l. si 20. §. 1. ff. de captivis*. Ecclesia enim in illis terris jus decimandi habuit, neque per occupationem injustam illo fuit privata, neque præscribi huic juri ab Infidelibus potuit, uti ipsemet Suarezius fatetur; *non enim erit objicienda præscriptio temporis, ubi necessitas interest hostilitatis, ut dicitur cit. c. 13. Et remotis malis, quæ hostilitas intulit, unicuique hoc, quod legitime habuit, reformetur, can. 1. 35. q. 1.* Igitur cogi poterunt ad tribuendum Ecclesie jus suum (nisi foedera obstant) æquè ac privatus quisque Infidelis inter Christianos degens. Neque apparet, quemodo, ut idem eximius Doctor vult *n. 9.* excusentur per ignorantiam invincibilem Legis Ecclesiasticæ: non enim Juri Ecclesie invincibilis ignorantia debitoris obesse potest: alias non apparet,

paret, quomodo non etiam Judæos inter Christianos degentes eadem ignorantia excuset: certum autem est, quod hos non excuset. In praxi tamen verum est, quod Infideles in dicto casu cogi ordinariè non possint; tum propter specialia fœdera; tum propter graviora incommoda, quæ ex coactione orirentur; tum denique quia licet Ecclesia jus suum in illis terris habitu semper retineat, actû tamen illud suspendit, vultque cessare tam diu, quamdiu ibi spiritualia non exercet. Unde etiam si illi ad Fidem revertantur, cogi tamè ad intermissam tempore Infidelitatis solutionem non debent, ut fatetur Panorm. l. c. quamvis dicat, de Jure id fieri posse, arg. l. Imperatores ff. de Publican. & l. comperit C. de Prescript. 30. l. 40. ann. Rationem dat Suarezius, quia hoc esset omnes intollerabile, & magnum Fidei impedimentum. Multò minùs Christiani, qui terras ab Infidelibus iniquè possessas recuperarunt, cogi possunt ad restituendas decimas, ab Infidelibus non depensas; etsi concederetur, successorem prædij ad eas, quas antecessor non solvit, pendendas teneri. Quod an verum sit, paulò post dicemus.

65 Ad primam rationem contra Infideles n. 55. allatam responderetur, tametsi omnes homines Jure Naturæ teneantur dominium Divinum agnoscere, non tamen tenentur hanc recognitionem facere, se-

que DEO bonorum omnium largitori gratos exhibere, per solutionem decimarum: specialis enim hic modus colendi Deum, gratumque erga Ipsum animum ostendendi, quamvis Jure Naturæ sit valdè conformis, & ultrò fuerit usurpatus ab Abraham, aliisque probis viris ante legem scriptam, revera tamen illo Jure præceptus non est, ut diximus n. 25. Lege verò Divinâ solis olim Judæis fuit præceptus, ita tamen, ut hoc præceptum cum legibus alijs Judicialibus ac Cæremonialibus Synagogæ Lege Christi novâ extinctum sit. Unde nec Judæi illo amplius tenentur. Et quamvis ab Ecclesia restauratum sit, id tamen ipsa solùm facere potuit respectu illorum, qui ejus jurisdictioni spirituali per Baptismum sunt subiecti.

Ad secundam rationem n. 56. respondet Sotus art. 4. licet Infideles immediatè obligentur ad Fidem, & Baptismum suscipiendum, non tamen obligari ad præcepta Ecclesiæ, quale est præceptum de decimis. Hæc tamen responsio, etsi probet, Infideles non teneri ad pendendum Ecclesiæ Ministris hanc certam fructuum quantitatem, videl. Decimam, quæ ab Ecclesia determinata est; non tamen probat de quantitate, quæ præcisè necessaria est ad sustentationem illorum Ministrorum. Ad hæc enim sustentationem videntur etiam Infideles teneri Jure Divino positivo, imò Naturali, juxta dicta n. 29. Cum enim Jure altiori, quam

quàm humano, teneantur ad recipiendam Fidem, & Baptismum, & ad hunc finem opus habeant Ministris Ecclesiæ, ac proinde ad horum ministeria admittenda sint obligati, consequens est, quòd pariter obligati sint ad ipsos alendos. Verùm hæc non probant absolutam obligationem Infidelium, & Jus Ecclesiæ ad decimas: tenentur enim illi tunc solum Ministros sacros alere, quando Divina ab iisdem percipiunt: neque enim operarius est dignus mercede sua, antequam operetur; nec vivit quisquam de altari, antequam serviat altari; & Apostolus non asseruit sibi jus merendi carnalia, antequam seminasset spiritualia. Unde tametsi obligatio recipiendi Fidem sit absoluta, alendi tamen Ministros Verbi Dei est solum conditionata, quando vid. ministeria sua impenderint. Et quamvis Suarez *l.c. n. 12.* probabile esse censeat, posse Ecclesiam, & Christianos Principes, aliquod tributum ab Infidelibus exigere, ad quos Prædicatores Evangelij de facto mittuntur, tum ad expensas itineris, tum ad eos sustentandos, quamdiu inter ipsos versantur; quamvis, ut addit, Ecclesia hæc potestate varijs ex causis non utatur. Non tamen apparet, quomodo illà uti possit: nam illa obligatio suscipiendi Fidem, quæ incumbit Infidelibus, non est obligatio Justitiæ erga Ecclesiam; neque cogi potestate humanà ad Fidem suscipiendam

possunt, ut cum Th. Th. tradunt Molina *tr. 2. de Just. disp. 105. n. 4.* Suar. *de Fide d. 18. sect. 2. n. 3. & 6.* Valent. *12. d. 1. q. 10. p. 10. 6.* & Card. Lugo *d. 19. sect. 2. n. 54.* Unde sequitur, neque ad admittendos Ministros Fidei cogi posse: multò igitur minùs ad alendos. Quia tamen Princeps Christianus, ut cit. DD. tradunt, Infideles suos subditos cogere potest ad audiendam Fidem, consequens videtur, quòd cogere possit ad alendos Ministros, qui ad annuntiandum ipsis Evangelium sunt necessarii.

Tertiæ rationi repugnant jura *n. 58.* adducta; dicitur enim ibi, cogi Judæos posse ad satisfaciendum Ecclesiæ, pro decimis, quas de domibus, aliisque possessionibus percipere consueverat. Unde cum solum fiat mentio de decimis realibus, à sensu contrario colligitur, illos non teneri ad personales. Neque probat quidquam, quod dicitur, Christianos, si ibi habitarent, ubi nunc Judæi habitant, daturus decimas etiam personales; proinde solvendas in compensationem esse à Judæis, ne Ecclesiæ aliquid de suo jure decedat. Negatur enim, aliquid juris Ecclesiæ decedere: non enim jus absolutum habet, sed solum conditionatum *si lucrum aliquod faciant Fideles:* ut verò laborent, & lucrum faciant, cogi non possunt. Aliàs homo nobilis, vel Clericus, & omnes illi, qui quæstum arte aliqua non faciunt, deberent

Paro.

Parochiæ aliquam compensationē
facere pro illis decimis personali-
bus, quas ipsa esset perceptura ab

aliquo artifice, qui hinc habitaret,
si non habitaret nobilis aut cleri-
cus. Hoc autem admittere est ridi-
culum.

QUÆSTIO III.

An Hæretici obligentur ad dandas decimas?

SUMMARIUM.

68. 69. 70. 71. *Videtur, Hæreticos
non obligari ad dandas decimas.*

72. *Obligari certum est.*
73. 74. 75. 76. *Dissolutio oppositi-
rum.*

68 **F**acilis videtur decisio hujus
quæstionis ex ijs, quæ modò di-
ximus de Infidelibus. Si enim isti
non tenentur ad decimas, vel per-
sonales, vel reales ex ijs prædijs, ex
quibus antea non fuerunt solutæ,
eò quòd Divina ipsis non minifran-
tur: consequens esse videtur, ne-
que Hæreticos obligari, cum etiã hi
sacro Ecclesiæ ministerio non utan-
tur. Neq; obstat, quòd uti tenentur:
nam etiã Ethnici, Judæi, Mahometani,
fidē amplecti tenentur, ac prop-
terea admittere ejusdem præcones,
eisdemque alere; quin tamen ex
hoc sequatur, eos ad decimas obli-
gari.

69 **I**I. Saltem ad decimas personales
non tenentur Hæretici: quia ad
has solùm obligantur, qui Sacra-
menta percipiunt, & illi Ecclesiæ, à
qua recipiunt *c. ad Apostolica h. t.*
non enim æquum est, ut oves pas-
cant pastorem, à quo non pascun-

tur. Atqui Hæretici non percipiunt
Sacramenta; & licet percipiant Sa-
cramentum Baptismi, non tamen
percipiunt à Clericis.

III. Ecclesia ab Hæreticis, nec
quamdiu sunt tales, & matri suæ re-
belles, nec dum ad ejus obedientiam
sunt reversi, pro tempore, quo ab
ea fuerant sejuncti, decimas exigit.
Agnoscat ergo, nullas sibi deberi:
neque enim jura, si qua haberet,
prodigeret in filios prodigos, quæ u-
surpat in morigeros, & obedientes.

IV. Hæretici in Ecclesiæ gremio
non sunt. *C. Non in nobis, & c. si
quis inquit 1. q. 1. c. Hæreticos 2. q.
1. c. advocavit 24. q. 1. c. statu-
tum de Hæret. in 6.* quia nemo ad
Ecclesiã pertinet, nisi per Bap-
tismum, & Fidem. *C. Firmiter de
Summ. Trin. c. fir. de Presbyt. non
bapt.* Sed Hæreticus non habet Fi-
dem: non ergo pertinet ad Ecce-
lesiã, neque ad ejus jurisdictionem;
cum

cum Ecclesie judicium non cadat in hos, qui sunt extra eam. *c. Gaudemus de Divort. c. multi 2. g. 1.*

Assert. Hæretici tenentur ad solvendas decimas tam Personales, quam Reales, & quidem ad has, non tantum per accidens, ut Infideles, & ratione prædiorum, quibus annexa est decimarum obligatio, sed per se, & debito personali. Ita communis omnium DD. Catholicorum. Ratio est: quia Hæretici, utpote baptizati, & quæ ac Catholici, obligantur præceptis Ecclesie, cum per Baptismum eam ingrediantur, ac ejusdem jurisdictioni subijciantur. Unde cogi ad Fidem Catholicam amplectendam possunt, non solum poenis spiritualibus, sed etiam temporalibus. Quæ est Catholica veritas, ita ut absque errore in Fide negari non possit, ut latè demonstrant Bellarm. *tom. 1. controv. 5. l. 3. de Laicis c. 21. & 22. Valentia tr. de Fide disp. 1. g. 11. mem. 3. Suar. ibid. disp. 20. sect. 3. Card. Lugo disp. 21. sect. 1. Farinacius de Hæresi g. 189. Conink. disp. 8. dub. 14. Nicol. Sanderus de Clave David l. 2. c. 11. & seqq. post SS. PP. August. Greg. M. Leonem I. ac Bernardum. Patet ex Concilio Tolet. IV. c. 57. & 59. & Concil. Nicæno, quod postulavit à Constantino M. ut puniret Arianos. *c. ad Abolendam. c. excommunicamus ac alijs, iii. de Hæret. c. super eo eod. in 6. l. Manichæos, l. Arianis, l. Quicumque C. eod.* Neque in re certa, & perspicua plura addi necesse est.*

Ad 1. arg. pro Hæreticis *n. 68. 73*
allatum. Et etsi sacram operam, quam Ministri Ecclesie ipsis impendere parati sunt, reculent, non tamen per hoc suis obligationibus solvi: tum quia non est in potestate subditi suam rebellionem legitimi superioris jurisdictioni se subducere; tum quia licet de facto Fideles non sint, tenentur tamen esse tales, & matrem suam, ac dominam agnoscere, cogique ad hoc per eam possunt, ut modò diximus. Neque ipsis prodest, quod ibi additur. Infideles, etsi teneantur ad veram Fidem amplectendam, & consequenter ad usurpanda sacra, eosque alendos, qui ista ipsis ministrant, non tamen obligari ad decimas, quamdiu sacro ministerio Præconum Evangelij non utuntur. Nam Infideles, quamdiu Baptismum non suscipiunt, Ecclesie subjecti, ejusque Legibus obstricti non sunt: at subjecti sunt Hæretici, neque ipsis liberum est vel hoc præcepto de decimis, vel quocunque altero Ecclesiastico se eximere: aliàs in potestate cujuslibet impij etiam Catholici foret, per neglectum sacrorum illam obligationem subterfugere; possétque quivis per rebellionem, & contemptum Principis tributis aliisque oneribus civilibus se liberare.

Ad 2. N. ma. nam non illi solum obligantur ad decimas personales, qui Sacramenta actu percipiunt; sed ij quoque, qui percipere deberent, & ab Ecclesia ad ea percipienda

E da

da cogi possunt. Aliàs etiam Catholici anni illius decimas solvere non tenerentur, quo Sacramentorum usum neglexerunt; & nunquam tenerentur solvere, si nunquam ea percipere vellent. Hoc autem quàm falsum sit, & absque ullo fundamento dictum, nostra demonstratione opus non habet.

75 Ad 3. R. Hæreticos ad decimas solvendas non ideò ab Ecclesia non compelli, quòd nullum ipsa jus in eos sibi esse existimet; sed partim quia ob suam potentiam compelli nequeunt, partim quia ex decimis per vim extortis plus damni timet, quàm speret emolumentum. Quòd verò ad ipsius gremium reverbos non cogit ad eas compensandas, quas tempore Hæresis non solverunt, facit hoc non ut Judex (hujus enim personam si sustinere vellet, cogere eos posset) sed ut pia, ac provida mater, partim ut errantes à vera fide capeffenda non absterreat, partim ut errorem jam dedoctos, & ritè sentientes non oneret, sed soletur.

76 Ad 4. arg. sufficit reponere Hæreticis illud S. August. *epist. 48. ad Donatistas: Nobiscum estis in Baptismo, in Symbolo, in cæteris Dominicis Sacramentis. In spiritu autem unitatis, & vinculo pacis, in ipsa denique Catholica Ecclesia nobiscum non estis.* Unde quamvis demus, quod contendunt Bellarm.

l. 3. de Sacram. c. 4. Canus in locis Theol. l. 4. c. 2. Spondanus de Cæmeter. p. 1. c. 2. Sanderus de visib. Monarch. l. 8. c. 32. aliique contra Alpons. de Castro, Hæreticos extra Ecclesiam esse: sunt tamen extra eam suà duntaxat pervicacià, & rebellionem; interim verò ratione Baptismi eidem nihilominus subiecti, æquè ac alius subditus, qui obedientiam legitimo Principi negat; ac propterea compelli ad redeundum possunt, ut diximus, eaque præstanda, quæ Fidelibus Christus per Ecclesiam injungit; sicut defertor militiæ ratione sacramenti militaris compelli potest, ut ad signa redeat. *l. Desertorem ff. de Re militari.* Hinc quando dicitur, eos, qui extra Ecclesiam, aliàmve Rempublicam sunt, ejus judicio non subijci, solum id intelligendum est de illis, qui membra Reipublicæ nunquam fuerunt, aut per privilegium, vel legitimam præscriptionem subditi esse desierunt. At nec præscriptio aliqua, nec privilegium ab Ecclesiæ Jurisdictione eos eximere potest, qui semel eidem per Baptismum fuerunt subditi: cum hæc subiectio sit Juris Divini, contra quod nullum vel privilegium, vel præscriptio prodest, adeò ut nec SS. Pontifex quemquam fidelium ab obedientia, quam debet Ecclesiæ, exiere possit.

QUÆ

QUÆSTIO IV.

An Clerici teneantur solvere Decimas?

SUMMARIUM.

77. Difficultas questionis ex c. 2. h. t. personali ad decimas teneri multis videtur.
78. Distinctio inter prædia Clericorum, ipsosque Clericos. 84. Non tenentur ex fructibus sui Beneficij, nisi onere reali.
79. Clerici omnes tenentur ad decimas ex fundis patrimonialibus. 85. Quid intersit inter onus reale & personale.
80. Parochus non tenetur ex prædio dotali sua Parochia, sito intra ejus fines. 86. Responsio ad contraria.
81. Tenetur onere reali ex prædijs in aliena Parochia sitis, tametsi sua Parochia dotalibus, nisi dum Parochia in dotem darentur, fuerint exempta. 87. Clerici, qui ex officio nulli Ecclesia serviunt, æquè ac laici ad decimas tenentur.
82. Quibus oneribus eximantur bona, dum Ecclesia in dotem dantur. 88. Nullus Clericus tenetur ad decimas personales ex lucris spiritali titulo acquisitis.
83. Beneficiatos non curatos onere 89. Solutio objectionis.
90. Tenetur ex lucris titulo profano acquisitis, si non est curatus.
91. Clerici Curati non obligantur ad decimas personales.

77. **U**bi actum est de illis, qui sunt extra ovile Christi, dicendum superest de ijs, qui sacra Ecclesiæ pacifica frequentant. Et I. quidem placet disputare de Clericis in genere; ex doctrina enim de his tradita facile erit iudicium ferre de singulis fidelium ordinibus, de quorum immunitate à decimarum onere dubitari potest. Difficultatem hæc ingerit cap. 2. h. t. ubi dicitur: *Novum genus exactionis est, ut Clerici à Clericis decimas exigant, cum nunquam in lege Domini hoc legamus: non enim Levitæ à Le-*

vitis decimas accepisse leguntur Mox verò contrarium tradi videtur, dum subiicitur: *Illi profectò Clerici, qui à Clericis Spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debent.* Atqui nullus est Clericus, qui non ab alio Clerico Spiritualis ministerij labores accipiat: accipit enim Ordines sacros, absolutionem à peccatis, S. Viaticum &c. Igitur juxta hoc Capitulum Clerici tenentur & non tenentur ad decimas.

Hæc difficultas ut solvatur, & ordine tradantur, quæ de Clericis

quoad obligationem solvendi decimas sacra Jura statuunt, notandum est I. Multum referre, utrum prædia sint intra fines Ecclesiæ, cui Clericus servit, an verò extrà: item utrum prædium sit beneficiale, seu Beneficium pro Clerici sustentatione annexum; an verò patrimoniale, seu aliunde, quàm titulo beneficij à Clerico possessum. II. Notandum est ex S. Thoma 2.2.9.87. a.4. Clericos sub duplici ratione considerari posse, nim. quatenus Clerici sunt, ac Ministri Spiritualium; & quatenus fideles, & à Sacerdotibus spiritualia percipiunt. Juxta quam geminam rationem S. Doctor l.c. & ibi Sotus, Arragon. Valentia, & alij communiter, & Canonistæ in cit. c.2.h.t. Summistæ V. Decima, Covarr. l.1. var. c.17. n.8. Guttier.99. Can. l.1. c.21. n.52. velut regulam statuunt, Clericos consideratos primo modo, seu tanquam Clericos, & prout Divina ministrant, non teneri ad decimas; teneri verò ut fideles, & prout Divina ipsis ministrantur. Quod utique verum est, sed nimis generale, & idcirco, ut ad particulares casus applicari possit, per plures, & distinctas conclusiones explicandum.

79 Assert. I. Clerici etiam Curati, & Parochi, tenentur decimas solvere ex fundo patrimoniali, seu quem titulo profano, puta emptionis, donationis, hereditatis &c. acquisierunt. Ita S. Thom. cit. n.4. ad 1. & Aragon. ibi. Sotus de Just. l.9.

9.4.1.4. Covarr. & Guttier. l. cc. Rebuff. de Dec. q.5. n.3. & 4. Suar. tom.1. de Relig. l.1. tr.2. c.17. n.10. & 16. Gabr. Vasq. tr. de Benefic. c.1. §.10. dub.8. Lels. de Just. l.2. c.34. n.22. Moneta de Decim. c.5. n.3. Franc. Leo Thes. for. Eccl. p.2. c.12. n.53. Palao tr.10. dun. pun.11. n.6. Barbos. de Off. Par. c.28. §.3. n.10. Azor p.1. l.7. c.24. q.5. Laym. l.4. tr.4. c.3. n.2. ac Canonistæ communiter, contra nonnullos apud Alensem p.3. q.51. memb.7. n.2. Assertio procedit non solum de prædijs in aliena Parochia, sed etiam in propria sitis. Hinc si Parochus ex sua Parochiæ fundis decimas non colligit, sed alius, v.g. Monasterium, Episcopus, Princeps, debentur huic decimæ etiam ex Parochi fundo patrimoniali. Ratio est: quia post Parochiarum, & Dioecesium divisiones prædia unicuique Ecclesiæ assignata habent annexum onus reale decimarum respectu Ecclesiæ, cui sunt assignata, & cum hoc onere transeunt ad Clericos, etiam Parochos. Estque respectu prædiorum per accidens, quod nunc potius à Parocho possidentur, quàm à laico.

Assert. II. Parochus non tenetur ad solvendas decimas ex prædio dotali suæ Parochiæ, seu illo, quod in dotem, & sustentationem Parochi Beneficio annexum est; si hujusmodi prædium intra fines suæ Parochiæ situm est. Ita cum S. Thom. l.c. Suar. c.17. n.16. Rebuffus q.1. §. n.6. Fagundez in Eccl. prac. 5.6.7.

n. 9. Trullenk *in praecept. Decal. dub. 10. n. 4.* Filiuc. *tr. 27. c. 8. n. 16 s.* & 168. Bonacin. *de praecept. Eccl. d. ult. q. 5. pun. 3. propof. 2. n. 8.* Laym. *l. 4. tr. 6. c. 3. n. 3.* Aug Barbofa *in vot. decis. l. 2. voto 41. n. 6.* & *de off. Paroch. c. 28. §. 3. n. 9.* Pirhing *h. t. n. 40.* Gonzalez *in c. 2. h. t. n. 2.* & videntur idem tenere omnes D. D. Certè hoc probat *cit. c. 2. h. t.* si enim Clerici ad aliquas decimas non tenentur (uti viilius cap. ad aliquas non tenentur) saltem id verum erit de Parochis aliisque Curatis respectu prædiorum Beneficio pro redditibus annexorum : nam si ullus Clericus exemptus ab onere Decimarum esse debet, præ alijs certè eximendi sunt Curati respectu illorum bonorum, quæ Ecclesijs pro sustentatione assignata sunt. Ratio ulterior est: quia si prædia assignata sunt in sustentationem Parochi, eo ipso habent rationem decimarum, quæ ipsi debentur ratione sacri ministerij. At verò juxta *cit. c. 2. de decimis* non solvuntur aliæ decimæ nisi SS. Pontifici, & Episcopo.

81 Assert. III. Parochi alijque Curati per se, & ex obligatione personali, nec ad decimas reales tenentur: tenentur tamen onere reali solvere ex illis prædijs, quæ in aliena Parochia sita sunt, tametsi sint assignata pro dote suæ Ecclesiæ, & in ipsorum sustentationem. Prima assertionis pars re ipsa tenetur ab omnibus. Patet ex *c. 2. h. t.* & ex ratione, quæ ibi allegatur; quia debi-

tum personale decimarum fundatur in receptione spiritualium ab aliquo pastore, qui ad hoc ex officio teneatur: atqui Parochus non habet proprium pastorem, nisi Pontificem, & Episcopum (qui tamen, ut infra dicemus, decimas non exigunt) nemini ergo ad decimas vel personales, vel reales, debito personali obligatur. Alteram partem cum Innocentio, & Panorm. tenent Rebuff. *l. c. n. 19.* Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 8.* ubi dicit, esse communem opinionem, Guttier *99. can. l. 2. c. 21. n. 54.* Moneta *de Decimis c. 5. n. 6.* Azor *p. 1. l. 7. c. 24. q. 5.* Trullenk *l. c. n. 5.* Aug. Barbof. *vot. 41. n. 8.* & *de off. Par. l. c. n. 9.* Canif. *de decim. c. 6. n. 2.* Pignatelli *tom. I. consult. 179. à n. 59.* contra S. Thomam *cit. q. 87. a. 4. ad 1.* & Cajet. *Sot. ac Arag. ibi.* Ratio patet: quia cum decimæ ex prædijs debeantur illi Ecclesiæ, intra cujus fines sita sunt, transeunt cum hoc onere ad quemcunque possessorem etiam alibi degentem, & per consequens etiam ad illas Ecclesias, quibus pro dote dantur: nam, ut dicitur *can. 42. 16. q. 1. si quis laicus, vel Clericus, vel utriusque sexus persona proprietatis sua loca, vel res alicui dare delegaverit, decimarum proventum priori Ecclesia legitime assignatum inde abstrahere nullam habeat potestatem.* Et, ut dicitur *can. 43. Ecclesia antiquitus constituta nec decimis, nec ulla possessione priventur, ita ut novis Oratorijs tri-*

buantur. Eadem habentur *can. 44.*
 32 Ex dictis consequens est, quod
 Parochus etiam ex prædijs intra
 suam Parochiam, & huic pro dote
 assignatis, solvere teneatur illi, cui
 debebantur, antequam prædia Ec-
 clesie assignarentur: nisi dum affig-
 narentur, hoc onere exempta fue-
 rint. Ratio est: quia res transit
 cum suo onere etiam in Ecclesias,
 si sit onus reale privatum, vel pen-
 sio alicui solvenda vi dominij aut
 facti præcedentis, ut certum esse
 ait, & fusè probat Suarez *in Defens.*
Fid. l. 4. c. 20. à n. 6. Neque factum
 patroni Ecclesiam dotantis priori
 decimatori nocere potuit: *nam factum*
cuique suum, non adversario,
nocere debet. l. 155. ff. de R. l. Et
 quamvis August. Barbos. *in o. 1. de*
Cens. n. 4. & Gonzal. *n. 6. in fin.* te-
 neant, ac probent, bona Ecclesie
 dotalia non tantùm novis censibus,
 ac oneribus gravari non posse, uti
 certum est ex *c. 4. de Immun. Eccl.*
c. quamquam de Cens. in 6. & alijs,
nec non Auth. Item nulla. C. de
Episc. & Cleric. sed etiam oneribus
 ac servitijs antiquis liberari, quæ
 habebant annexa, antequam pro
 dote assignarentur Ecclesijs: hoc
 tamen juxta Host. Innocent. Joan.
 Andr. ac alios, quos refert Panorm.
in cit. c. 1. n. 6. solùm intelligen-
 dum videtur de prædijs, quæ ipsi
 Patrono, ac Fundatori erant tribu-
 taria: hic enim eo ipso, quod donat
 Ecclesie, censetur remisisse, &
 quantum pertinet ad dotem neces-

sariam, tenetur remittere onus an-
 nexum. Pariter alius quiscunque,
 cui ex prædio aliquod servitium
 antea debebatur, censetur, nisi con-
 trarium exprimat, illud remittere,
 si Patronus cum ipsius consensu,
 prædium transfert in Ecclesiam,
 ut benè ait Panorm. *l. c. n. 7.* Non
 verò absolutè dici potest, quod cui-
 cunque domino per hujusmodi
 translationem præjudicetur, præ-
 diumque omni onere liberetur.
 II. Veram quidem cenfeo illam
 sententiam, quam post Felin. Card.
 Alban. Innocent. Bartol. Bald.
 Ruyn. Speculat. Archidiac. Imol.
 alijsque tenent Martha *de Jurisd.*
p. 4. cas. 11. n. 28. Guttier. *gg. præd.*
l. 1. q. 3. n. 15. Suar. *l. c. à n. 12.* Tan-
 ner. *in def. libert. Eccl. c. 13. Less. l. 2*
c. 33. n. 21. Laym. *l. 4. Theol. Mor.*
tr. 9. c. 6. n. 4. ac alij prædia Eccl-
 esijs collata fieri libera oneribus e-
 tiam antiquis, & pridem impositis,
 antequam pervenirent ad Eccl-
 esiam, non solùm illis, quibus erant
 obnoxia ipsi patrono, sed ijs quoq;
 quæ priùs præstabant Reipublicæ.
 Hoc tamen solùm procedit, ut ij-
 dem DD. fatentur, de illis oneribus,
 quæ imposita sunt à Principe secu-
 lari vi Jurisdictionis, quæ à suis sub-
 ditis tributa exigit; non item de il-
 lis, quæ vel ab Ecclesia imposita fue-
 runt, vel etiam à laicis jure dominij
 particularis (puta quia illud præ-
 dum erat proprium, & camerale
 bonum Principis) aut pacto cen-
 suali, fey dali, emphyteutico &c.
 Atqui

Atqui onus decimarum non est impositum à seculari Principe vi Jurisdictionis. Igitur illo non liberatur Ecclesia, si ad ipsam transit prædium jam antè subjectum oneri decimarum. III. In illo *c. sancitum* dicitur, quòd de manso Ecclesiæ, de decimis, oblationibus fidelium, hortis, ac atrijs &c. non sit præstandum aliquod servitium præter Ecclesiasticum. Igitur immunis est mansus Ecclesiæ solum à servitio seculari, non verò ab Ecclesiastico: non igitur à decimis. Contrariam tamen S. Thomæ sententiam usu, & consuetudine receptam esse significant Covarr. & Guttier. *ll. cc.* Quam licet Suar. *cit. c. 17. n. 30.* suaderi posse existimet ex *c. 46. 16. 9. 1.* nihil tamen ex illo probatur, præcipuè si legitur, prout est in ipso Concilio Cabilonensi II. Nam ibi solum dicitur, ut Episcopi decimas deferri faciant ad Ecclesias; non verò exprimitur, utrum ad suas proprias, an verò ad illas, quibus antiquitus debebantur.

83 Jam verò grave diffidium est de alijs Clericis, Beneficium quidem, non tamen Curatum, habentibus, uti sunt Canonici simplices, Capellani, ijque, quos ab obligatione primum in Ecclesijs Parochialibus sacrum legendi Primisarios dicunt. Hos enim ad decimas reales onere personali persolvendas, & quod consequens est, etiam ad personales (sicubi in usu sunt) obligare videntur Panorm. in *cit. c. 1. de Cens.*

n. 4. Suar. *cit. c. 17. n. 21.* Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 8.* Ricc. *prax. for. Eccl. decis. 60 5. n. 4.* Franc. Leo *thes. for. Eccl. p. 2. c. 12. n. 5 5.* Marc. Ant. Gen. *prax. Eccl. 9. 628. n. 3.* Aug. Barbof. *vol. decis. 41. n. 27.* Val. Reginald. *prax. For. pœnit. l. 9. c. ult. n. 87.* Card. Luca *disc. 1. de decim. n. 34. & disc. 2. n. 5.* ubi ait, verum ac receptum dicti *c. 2.* intellectum esse, ut illi solum Clerici non solvant decimas, qui populo ministerium exhibent in cura animarum ac dispensatione Sacramentorum. Ducuntur his rationibus. I. Decimæ debentur de omni fructu, & ab omnibus solvendæ sunt *c. 21. h. t.* ergò nec Clerici Beneficiati excipiuntur. II. Clerici æquè, ac laici, percipiunt Sacramenta in Ecclesia Parochiali: tenentur igitur decimas eidem persolvere. *c. 20. h. t.* III. Onus solvendi decimas non tam personis, quàm rebus, & fructibus, ac lucris annexum est. Panorm. in *c. 7. h. t. n. 6.* Parùm igitur interest, utrum fidelis ille, qui fructus colligit, & lucrum facit, Clericus sit, an laicus.

84 Assert. IV. Clerici Beneficarij non curati, per se, seu onere personali, non tenentur ex fructibus sui Beneficij decimas solvere. Ita sentio cum S. Thoma *2. 2. q. 87. a. 4. in C.* Arragon. *ibid. Sot. de Just. l. 9. q. 4. a. 4.* Em. Rodriq. *99. reg. tom. 1. c. 87. concl. 4.* Rebuff. *q. c. n. 9.* Guttier. *99. can. l. 2. c. 21. n. 57.* Sylvest. *V. Decim. q. 7.* Azor *p. 1. l. 7. c. 24. q. 5.* Less. *l. 2. de Just. c. 39. n. 23.* Filliuc. *tom. 2. tr. 27.*

rr. 27. c. 8. q. 8. n. 178. Laym. l. 4. rr. 4. c. 3. n. 3. Pirhing h. t. n. 42. ac alijs. Et reverà non dissentiunt DD. qui in contrarium allegantur, si eorum dicta ponderentur: imò aliqui eorum, uti Suarez l. c. n. 23. Valer. Reginald l. c. Leo l. c. n. 57. expressè nostram sententiam tenent. Ejus veritas patet ex citat. c. 2. ubi dicitur, *Novum genus exactiois esse, ut Clerici à Clericis decimas exigant*, id est, ex Ecclesiasticis redditibus. Quod probat Pontifex exemplo Levitarum, qui de decimis alijs Levitis decimas non solvebant. Neque fit discrimen inter Beneficiarios curam animarum habentes, & non habentes, sed universim sermo est de Clericis, illis videlicet, qui serviunt Ecclesiæ: neque enim Jura sacra de Clericis loquuntur, nisi qui ex officio in Ecclesia ministrant, eum Jure etiam novo *Tridentini sess. 21. c. 2. de Reform.* nemo ad sacros Ordines promovendus sit, nisi prius legitime constet, eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere; & ad patrimonium, vel pensionem ordinari non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum. Ratione probatur assertio I. Quia Ecclesiavult conferri beneficia sine diminutione. *tot. tit. ut Eccl. Benef. sine dim. confer.* Atqui non conferrentur sine diminutione, si detrahi inde deberent decimæ. II. Cle-

ricis non tantum Curatis, sed etiam reliquis Beneficiatis debentur decimæ, ut tradimus n. 342. Neque ex decima debetur alia decima, ut patet ex cit. c. 2. nisi SS. Pontifici. Sive ergò redditus beneficiales habeantur immediatè ex decimis, sive aliunde, non debentur à Beneficiatis decimæ: quia licet illi redditus habeantur ex prædijs beneficio assignatis, vel ex censibus &c. sunt tamen loco decimarum, & in harum vicem substituti.

Dixi per se, seu obligatione personalis, Clericos Beneficiatos non obligari ad decimas reales. Quòd obligentur onere reali, si prædia, ex quibus percipiunt redditus beneficiales, obnoxia fuerint oneri solvendi decimas, antequam beneficio applicarentur, tenet communissima DD. contra Abulensem in *Matth. 23. q. 193.* quem sequuntur Sylvest. & Angelus: qui si loquantur de prædijs seculari titulo acquisitis, quòd ex his Clerici nullo modo, & neque debito reali debeant decimas, opinio ipsorum neque probabilis est: cum ex his bonis etiam Parochi alijque Curati obligati sint, ut dixi n. 81. & 82. Quia res transit cum suo onere *l. traditio ff. de acquir. rer. dom. l. alienatio ff. de contr. empt. l. si debitorem. C. de dist. pig.* tametsi prædia fuerint Ecclesiæ donata: nisi vel ipsius patroni servitio fuerint obnoxia, vel vel donata fuerint cum consensu illius, cui servitium debebatur, is alter-

alterutrum horum factum est; aut si fundatum est Beneficium, vel ex novo, ex quo videlicet nullæ ante decimæ erant solutæ; vel ex fundo Gentilibus erepto, & nunquam ante hac à Christianis possessio; vel ex prædio per consuetudinem, privilegium, præscriptionem à decimis immuni &c. onere nec personali, nec reali, Beneficiatus ad decimas obligatur. Unde apparet, multum referre, sitne obligatio decimas dandi realis duntaxat, an verò etiam personalis: si enim tantum realis est, non obligatur in enarratis modò casibus possessor fundi; obligatur verò etiam in istis, si obligatio est personalis. Imò cenfeo, quãdo jam in Hungaria v.g. aut Morea, eriguntur rursus Beneficia tam Parochialia, quàm non curata, nec ex horum prædijs deberi decimas. Et si enim antehac, dum penes Christianos essent, decimis fierint obnoxia, quia tamen limites Parochiarum eorùmque prædia fuerunt confusa, ita ut dignosci non possit (uti ponimus) quinam fundi, & quibus Ecclesijs fuerint decimales, Beneficiatus fundatã pro se habet intentionem, & possessionem immunitatis. Hinc universim in dubio præsumendum est, prædia Beneficij assignata esse libera, & absque decimarum onere: quod confirmant tum rationes modò allatæ, tum consuetudo, & praxis, vi cujus Clerici de fructibus beneficalibus decimas non solvunt, ut testatur

Palao *tr. 10. d. un. pun. 11. n. 4.* tum quia beneficia sine diminutione conferenda sunt; tum quia decimæ Beneficiarijs etiam non curatis debentur, & ex decimis aliæ decimæ non solvuntur.

Ex dictis facile est, ad ea, quæ *n. 86* 83. contra immunitatem Beneficiati non curati opponuntur, respondere. Quod primo loco dicitur, non est ratio, sed nuda assertio nostræ opposita, & modò rejecta. Neque probatur *cit. c. 21.* ibi enim solum dicitur, agri cultores debere de omnibus fructibus decimas pendere. Quòd verò agricultorum nomine intelligantur etiam Clerici colentes prædia beneficalia, gratis asseritur, & contrarium patet ex *c. 2. h. t.* & rationibus *n. 84.* adductis. Ad 2. *q.* inde solum sequi, quòd Beneficiati æquè ac laici teneantur ad decimas solvendas ex prædijs patrimonialibus; non verò, quòd ex decimis debeant decimas; hoc enim novum est, & insolitum, ut dicitur *cit. c. 2.* Idem *q.* ad 3. nimirum onus decimarum esse annexum omnibus lucris, & fructibus, nisi ipsi fructus sint decimæ: atqui fructus, quos Clericus ex prædio beneficali colligit, sunt decimæ.

Asser. IV. Clerici, qui non habent Beneficium, nullique Ecclesiæ ex officio inserviunt, per se & onere personali obligati sunt ad decimas prædiales solvendas æquè ac laici. Hæc est sententia S. Thomæ, aliorumque, quos allegavimus

F

n. 78.

n. 48. eamque aperte probant hæc verba c. 2. h. t. *Illi vero Clerici, qui à Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debent, cum minus probare non possint.* Apertum enim ex hoc textu est, quod Clerici non sint omnino exempti ab onere decimarum: ergo saltem illi Clerici obligati sunt, qui Beneficium non habent. Quod vero eorum obligatio sit personalis, patet: quia alias quoad onus solvendi decimas nullum inter Clericos foret discrimen (quod tamen fit c. 2.) cum etiam Parochi, quin ipse SS. Pontifex, & Episcopi, obligatione reali ad decimas teneantur, si videlicet prædia possideant oneri decimarum ab antiquo subiecta, & alieni alteri Ecclesiæ, quam cui ipsi præsent, vel alteri cuiuspiam decimatori, obligata. Neque intelligi verba illa possunt de Clericis solum conjugatis, ut intelligit Glossa: tum quia textus loquitur absolute; tum quia ratio, quæ ibi assignatur, æquè procedit de non conjugatis, quam de conjugatis. Præterea non possunt intelligi de solis Clericis minoribus, seu habentibus solum primam tonsuram, aut Ordines minores, uti intelligere videtur Rebuffus q. 5. n. 9. nam par est ratio de omnibus Clericis non beneficiatis quantumvis Sacerdotibus: quia etiam Sacerdotes subduntur Parochis quoad spiritualia, eorumque curæ in susceptione Sacramentorum subsunt, ut notant Canonistæ

in c. omnis utriusque de Paro. Unde quia ratio, quæ cit. c. 2. assignatur, æquè de his, quam de illis, procedit, obligatio utriusque æqualiter incumbit. Ratio verò, quæ ibidem assignatur, est: quia etiam Clericis ministrantur Divina. Hinc procedit assertio, si prædia sint in aliena, si in propria Clerici Parochia: pro utroque enim casu valet modo allata ratio.

Assert. V. Nullus Clericus tenetur ad decimas personales ex lucris spirituali titulo acquisitis, v. g. ex distributionibus quotidianis ob præsentiam in Choro, stipendijs pro Missa, Concione &c. Hæc assertio videtur re ipsa teneri ab omnibus, dum solum afferunt, Clericos ex fructibus titulo temporali acquisitis obligari ad decimas: non igitur ex illis, quos percipiunt ex ministerio spirituali. Ratio est: quia Ecclesia non obligat Clericos ad dandas decimas ex redditibus beneficiabilibus, nisi prædia beneficalia oneri decimarum antiquitus fuerint subiecta, & cum hoc onere ad Ecclesiam transferint, ut diximus n. 30. & seqq. Vult igitur, ut Clerici stipendium sui laboris, & Ministerij sacri integrum percipiant, ac liberum ab omni onere. At hæc ratio procedit de omnibus fructibus, ac lucris titulo spirituali perceptis. Accedit, quod juxta c. 2. h. t. *novum genus exactionis est, ut Clerici à Clericis decimas exigant, id est, à Clericis quæ Clericis, & consequenter*

er ex fructibus, & lucris, quæ percipiunt ut Clerici. Atqui omnes fructus, quos percipiunt titulo spirituali, seu ob ministerium spirituale, percipiunt ut Clerici, ergo &c. Quæ ratio ulterius sic declaratur. Ecclesia non vult gravari clericos in Ecclesiasticis bonis, nisi in casibus in jure expressis, ut patet ex *cit. c. 2.* ubi illos, quatenus Clerici sunt, eximit ab onere decimarum. Atqui casus iste, de quo loquimur, non est in jure expressus. Præterea Ecclesia non vult aliter gravare Clericos, quam Laicos, & consequenter gravat solum quoad fructus temporali titulo acquisitos.

9) Neque dicas, hæc pugnare cum dictis *num. præc.* ubi asseruimus, Clericos non habentes beneficium, teneri ad decimas prædiales onere etiam personali; esse autem parem rationem de decimis personalibus: quicumque enim tenentur ad decimas prædiales obligatione personali, tenentur etiam ad personales, nisi consuetudine aliud receptum sit. Negatur enim paritas inter has, illasque decimas; idcirco enim Clerici non beneficiati tenentur onere etiam personali ad decimas prædiales; quia fructus percipiunt titulo merè téporali; hoc ipso enim quod prædia non possident vi beneficij, non nisi temporali titulo possident. At verò fructus, quos ex ministerio sacro percipiunt, titulo spirituali percipiunt, etiamsi beneficium non habeant.

90
Affer. VI. Clerici non curati tenentur ad personales decimas solvendas ex quocunque lucro licito, quod titulo merè profano accipiunt, v. g. ex cantu, ad quem ratione beneficij non obligantur, ex artefactis, munere docendi, negotijs gestis &c. Ita Suar. *cit. c. 17. n. 24.* Fagundez *prac. Eccl. 5. l. 2. c. 2. n. 2.* Laym. *cit. c. 3. n. 2.* Pirhing. *l. c. n. 42.* Lefs. *l. 2. c. 39. n. 23.* Schambogen *h. t. n. 25.* Barbofa *cit. §. 3. n. 21.* & videtur communis omnium DD. quamvis Suar. *l. c.* asserat, esse super hoc varias opiniones. Ratio est: quia Clerici ex prædijs titulo profano acquisitis, v. g. hæreditate, legato, emptione &c. debent decimas Parocho, cui subsunt, ut diximus *n. 87.* atqui par est ratio de lucris titulo profano acquisitis. Neque Pontifex *cit. c. 2. h. t.* ubi Clericos obligat ad decimas suo Pastori solvendas, distinguit inter decimas prædiales, & personales.

91
Affer. VII. Parochi, aliique Clerici curam animarum ex officio exercentes, non tenentur solvere decimas personales. Ita rursus communis omnium. Ratio est I. quia non est textus, qui ipsos ad has decimas obliget, imò potius pro immunitate apertè stat textus *cit. c. 2. prin.* II. Quia decimæ personales debentur illi, qui ex officio alicui Sacramenta administrant. Atqui Parochi non habent aliquem pastorem, qui ipsis ex officio Sacramenta administrat. Suar. *c. 17. n. 18.*

¶ 20. Quia verò ista ratio solum procedit de Parochis respectu æqualium Clericorum, non verò respectu Episcopi, & SS. Pontificis, quibus subsunt; idcirco etiam assertio respectu horum non procedit. Cum enim omnium Clericorum proprius Pastor sit SS. Pontifex, &

in quavis Dioecesi Episcopus, qui etsi ordinariè Sacramenta, exceptis Ordinibus, non administret, doctrinam tamen eos pascit, & gubernat, beneficia confert &c. propterea Pontifici de jure communi decimas debent, nec non Episcopo quartam decimalem.

Q U Æ S T I O V.

An SS. Pontifex, Episcopi, ac Principes teneantur solvere decimas?

SUMMARIUM.

92. *Rationes negandi, SS. Pontificem ad dandas decimas obligari.*
 93. *Rationes affirmandi.*
 94. *Non tenetur ad ullas decimas obligatione personali.*
 95. *Tenetur obligatione reali solvere ex pradijs titulo temporalis possessis.*
 96. *Solutio objectionis.*
 97. *Non tenetur ex bonis, quæ habet ut Pontifex.*
 98. *Dilutio contrariorum.*
 99. *Episcopi & Prælati jurisdi-*

ctionem quasi Episcopalem habentes nec ad Personales nec ad Prædiales decimas tenentur obligatione personali; tenentur tamen reali ex fundis titulo profano possessis, vel cum onere decimarum ad Ecclesiam devolutis.

100. *Ratio dubitandi de Principibus secularibus.*

101. *Tenentur æquè, ac reliqui fideles, ad decimas: nec eximere ab hoc onere quemquam possunt.*

102. *Solutio objectionis.*

92 **D**E Clericis in communi cum hæctenus disputaverim, agendum modò est de ipsorum Prælatis, utpote de quibus dubitandi specialis ratio est. Prælatis Ecclesiæ meritò addimus Principes seculares: nam de his quoque dubium esse potest, benèque Potestas secularis Eccle-

siasticæ jungitur, Luna vidè Soli: quæ est comparatio Innocentij III. c. solita 6. de Major. & ob. Et quidem ordiri placet à Capite Ecclesiæ, seu SS. Pontifice. Hunc ad nullas omnino decimas obligari suaderi potest I. Quia Princeps Supremus non solvit tributum. Cui enim so lve-

solveret? Non sibi; quod implicat. Non alicui superiori: quia superiorē non habet. Atqui decimæ sunt quoddam tributum, quod superiori debetur: SS. verò Pontifex superiorē non habet; est enim totius Ecclesiæ caput, & hanc superior. II. Decimæ non debentur, nisi Pastori, cui in perceptione Sacramentorum quis est subiectus. At SS. Pontifex non habet Pastorem, cui in perceptione Sacramentorum sit subiectus, sed ipse est Pastor Pastorum. *Joan. ult. v. 15. & seqq.*

93 Obligari verò etiam SS. Pontificem ad solvendas decimas, tenent Rebuffus *q. 5. n. 26.* & Andr. Hispanus *reg. 10. q. 11.* Ratio est I. quia etiam ipse tenetur supremum Dei dominium agnoscere: omnes enim, ut ait Rebuffus, sumus populus ejus, & oves pascuæ ejus; & nihil omninò habemus, teste Apostolo, quod non ab ipso acceperimus. Atqui in hunc finem, ut videlicet supremum Dei in nos dominium profiteremur, institutæ sunt decimæ. II. Etiam SS. Pontifex recipit Sacramenta Pœnitentiæ, Ordinis, extremæ Unctionis, SS. Eucharistiæ, nec non Consecrationem, imò & Confirmationis Sacramentum, si hoc fortè ante electionem non accepit. Atqui Clerici, qui à Clericis spiritualium ministeriorum labores suscipiunt, decimas eis debent. *c. 2. b. t.*

94 Assert. I. SS. Pontifex neque ad solvendas decimas personales, ne-

que ad reales obligatione personali tenetur. Ita cum S. Thoma *2. 2. q. 87. a. 4. in C.* omnes Theol. ac Canon. si duos modò nominatos excipiam. Demonstrat assertionem gemina ratio *n. 92.* allata: cum repugnet, ut Princeps superiorē non agnoscens ad aliquod tributum sit obligatus. Hinc neque in lege Veteri SS. Pontifex decimas pendebat.

Assert. II. SS. Pontifex tenetur ⁹⁵ onere reali ad solvendas decimas ex prædijs, quæ titulo temporali possidet, v. g. ex hereditate paterna, emptione &c. Ita communis DD. excepto forsan Abulensi, qui *q. 139. in Math. 22.* videtur ipsum ab omni decimarum obligatione absolvere. Ratio est, quia post Parochiarum & Diœcesium divisionem prædia unicuique Ecclesiæ assignata habent annexum debitum decimarum, tanquam onus reale, respectu hujus, vel illius Ecclesiæ, cui fuerunt assignata. Ergò si Pontifex titulo aliquo temporali acquirat aliquem fundum, iste cum suo onere ad ipsum transit.

Neque obstat, quòd Pontifex sit ⁹⁶ supremus dispensator decimarum & Jurium Ecclesiasticorum: est enim solum dispensator, non verò dominus, & idcirco non potest eas sine arbitrio usurpare. Hinc quamvis obligatos ad decimas eximere ab hoc onere possit, uti multos eximit, ac ipsum etiam jus decimandi in Laicos quandoque transtulit, & sic eadem potestate, quâ alios, etiam se ipsum eximere possit: id tamen dictis

non repugnat; quia agimus de obligatione ex jure communi, non verò de potestate, quâ se, vel alios obligatione potest eximere. Hanc ipsam tamen potestatem sine rationabili causa æquè parùm circa se, quàm circa alios usurpare potest.

97 Diximus, SS. Pontificem obligari ad decimas ex prædijs, quæ titulo temporali possidet. Nam, ut observant Suar. *cit. c. 17 n. 10.* & Hun. *Encyclop. p. 5. tit. 2. c. 2. n. 6.* non debet ex bonis, quæ habet ut Pontifex: illa nimirum, quæ donata sunt tum à Constantino Magno Melchiodi Papæ a. 312, Ædes Lateranenses largiente; tum à Pipino Caroli M. patre post exclusos in Childerico III. Merovingios Galliarum Rege, non tantùm restituente, quæ Pater Carolus Martellus Ecclesijs abstulerat, sed Sedi Romanæ sub Stephano III. varias Provincias, quas notat Baron. *ad a. 755. n. 27.* liberaliter donante; tum à Carolo M. patris, & fratris donationem non modò confirmante, sed compluribus Urbibus atque ad eò integris Provincijs, quas ex Anastasio refert idem Baron. *ad a. 774. n. 6.* sub Hadriano III. munificentissimè cumulante; tum à Ludovico Pio paternam Caroli M. & avitam Pipini donationem sub Paschali I. ratam habente, & suâ, filiorum, ac procerum manu confirmante, cujus Sanctionis exemplar Gratian. *Can. Ego Ludovicus dist. 63.* mutilum refert, integrum verò Baron. *ad a. 817. n.*

10. ex Vaticanis monumentis producit; tum denique à Mathilde pijsimâ simul, & ditissimâ Comitissâ, Liguriam ac Tusciam eidem Romanæ Sedi sub Gregor. VII. a. 1077. donante. Quæ possessiones cum Ecclesiæ attributæ sint in sustentationem tum SS. Pontificis, tum Ministrorum ejus, ac propterea Patri monium S. Petri vocentur, æquè parùm obnoxia sunt oneri decimarum, quàm bona, & redditus beneficiales Clericorum SS. Pontificis inferiorum.

Neque difficile jam est, ea diluere, quæ n. 93. opponuntur. Nam etsi omnes homines obligati sint ad colendum Deum, & supremum ejus in nos dominium agnoscendum, lex tamen Naturæ non præscribit certum modum id faciendi per Decimarum aut Primitiarum oblationem. Neque ad certum hunc modum obligat præceptum aliquod Divinum. Imò si daretur, non tamen obligaret summum Sacerdotem, uti non obligavit summum Sacerdotem Hebræorum. Neque obligat lex Ecclesiastica; tum quia SS. Pontifex est superior Legibus Ecclesiæ; tum quia lex de decimis solum est lata illis, qui Clericorum sacra jurisdictioni sub sunt: at SS. Pontifex nemini est subjectus. Æquè parum probat illud, quòd SS. Pontifex aliqua Sacramenta ab alijs accipit. Nam decimæ solum debentur Pastoribus, seu illis, qui ex officio divino ministrant. Atqui SS. Pontifex

sex non habet Pastorem, cujus sacrae jurisdictioni sit subiectus, & a quo teneatur Sacramenta suscipere.

99 **Affert. III.** Episcopi, alique Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem habentes non obligantur ad decimas personales, vel ad prædiales onere personali. Obligantur verò ad has solvendas onere reali, ex illis fundis, quos possident titulo profano, vel cum onere prius annexo, antequam ad ipsos pervenerunt. **Affertio est communis DD.** Posterior pars, quòd teneantur ex bonis titulo profano acquisitis, patet à fortiori ex ijs, quæ n. 95. dixi. Quòd teneantur etiam ex ijs, quæ ad mensam Episcopi pertinent, si prius habebant annexum onus decimarum, quo per patronum non fuerunt liberata, constat ex dictis n. 81. & 82. Prima pars de onere personali probatur à paritate cum Parochis, aliisque Clericis beneficium etiam simplex habentibus; hos enim per se non obligari ad decimas diximus n. 80. & 84. & patet tum ex c. 2. h. 2. & c. 26. 16. 9. 1. tum ex eo, quòd Episcopi non habent Pastorem, nisi SS. Pontificem; unde licet huic de Jure communi debeant, is tamen non exigit. Metropolitanò verò seu Archiepiscopo non sunt subiecti quoad susceptionem Sacramentorum, sed tantùm quoad Jurisdictionem externam in certis quibusdam casibus, de quibus Aug. Barbosa. l. 1. *Fur. Eccl. c. 7. à n. 19.* Hæc autem subiectio nullum

jus tribuit Archiepiscopo ad decimas: cum istæ per se solùm illi debeantur, cui tanquam Ordinario Pastori quoad susceptionem Sacramentorum subijcitur. Neque hæc alia afferri contra Episcopos possunt, quàm quæ contra SS. Pontificem n. 83. allata, & n. 98. rejecta sunt.

100 **Præter sacrorum Antistites, & Principes Ecclesiæ, Reipublicæ quoque prophanæ capita immunita ab onere decimarum esse existimat Thò. Trivis. in decis. venet. l. 1. decis. 29. n. 2. arg. l. 9. §. 8. ff. de Public. iuxta quam Fiscus ab omnium vectigalium præstationibus immunus est.** Eandem suis Principibus asserunt Fisci Brabantix apud Ant. Anselmum in *Trebomiano Belg. c. 1. §. 1.* non tamen jus commune, sed præscriptionem immemoriam allegantes. *Gloss. in c. 4. de Major. & obed. & Moneta c. 5. n. 26.* etsi illos non omninò absolvant, aiunt tamè, non teneri solvere Ecclesiæ Parochiali, sed solùm Episcopo: ut sicut in cæteris, ita in hoc quoque aliquid privilegij habeant.

101 **Affert. IV.** Imperator, alique Principes seculares, æquè ac reliqui Fideles, obligantur ad solvendas decimas. Ita unanimi consensu tradunt Canonistæ, ut benè ait Bern. van Espen *Fur. Eccl. p. 2. tit. 33. c. 7. n. 7.* Estque res expedita, & firma regula, ut Hunn. *Encyclop. p. 5. tit. 2. c. 2. n. 23. & 43.* inquit, & ut *Canis. de decim. c. 4. n. 1.* constitutif-
simi

fimi juris regula est, Fideles omnes, cujuscunque generis, ordinis, ac gradus sint, ad solutionem decimarum esse obstrictos. Ratio est: quia *c. 24. h. t.* dicitur, quemlibet decimas solvere teneri, nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exemptus. Idem supponitur *c. 42. 16. q. 1.* Ratio ulterior est: quia etiam Principes subjehti sunt Ecclesiæ jurisdictioni, ut patet ex *c. 1. dist. 9. c. 11. & seqq. dist. 96. Extrav. 1. com. de Major. & obed.* estque dogma Catholicum, quod præter alios latè firmat Suar. *defens. Fid. l. 3. c. 22. & seqq. & l. 4. de Leg. c. 9.* Bellarm. *de SS. Pont. l. 5. c. 67. & 8.* Driedo *de libert. Christ. l. 2. c. 2.* Navarr. *in c. Novit. de Judic. not. 4. à n. 19.* Molina *de Just. tr. 2. d. 29.* Multò minùs possunt Principes seculares quemquam ab onere decimarum eximere: nam *cum Laicis*, ut dicitur *c. 25. h. t.* nulla sit de rebus spiritualibus concedendi, vel disponendi facultas, Imperialis concessio, quantumcunque generaliter fiat, neminem potest à solutione decimarum eximere, qua constitutione divinà debentur.

102 Neque pro Principibus quidquam probat *cit. l. Locatio.* Nam solum dicit, quòd bona Fiscì sint immunia à Vestigialibus: plus si diceret Jctus, erraret; cum nulla lex, nulla constitutio, nullum decretum Laicorum, libertatem, vel jura Ecclesiæ

ullatenus infringere, aut diminuerè valeat. *l. 12. & seqq. auth. Cassa. C. de SS. Eccles.* Quod Moneta cum glossa addit, Reges, ac Principes probabiliter nulli Ecclesiæ parochiali obligari ad decimas, sed soli Episcopo, absque fundamento asseritur: nullum enim in jure communi extat hujus doctrinæ vestigium; de privilegijs autem specialibus, & præscriptionibus hîc non loquimur, nec ex ijs argumentum ad omnes Principes fieri potest. Loquedo igitur de realibus decimis, haud dubiè illæ etiam ex Regum prædijs debentur illi Parochiæ, in qua sita sunt. Personales verò, uti in plurimis locis, ita maximè quoad Principes abrogatæ sunt, præcipuè cum isti compensationem earum faciant Ecclesiæ, pias sæpè fundationes novas faciendo, augendo veteres, pro conversione Hæreticorum, & Infidelium, alimenta ac expensas præbendo Evangelij præconibus, magnos sæpè sumptus faciendo in purgandis ab Hæresi suis regionibus, propulsando vim Mahometanorum, & Idololatrarum &c. Habent præterea propriam, ut vocant, Capellam, & Clerum, à quo Divina percipiunt, eumque liberaliter alunt: unde cum illa sit propria ipsorum Parochia, nulli alteri ad decimas personales, etiam ubi istæ adhuc in usu sunt, obligantur.

QUÆ.

QUÆSTIO VI.

An Religiosi ad dandas decimas sint obligati?

SUMMARIUM.

103. Ratio dubitandi de Religiosis.

104. Jure communi tenentur ad dandas decimas sicut Laici.

105. Tenentur ad Reales etiam exempti à jurisdictione Episcopi.

106. Solutio oppositorum.

103 DE Religiosis quoque specialis est dubitandi ratio, an ad decimas teneantur. Nam etsi ordinariè secularia beneficia, ratione quorū decimæ debentur, non possideāt, concurrunt tamen pleriq; Religiosi Clericis secularib; in cura animarū, & ut phrasi Apostoli utamur, cum ipsis laborant in Evangelio ac unā portant in vinea Domini pondus diei, & æstus. Unde æquum est, ut si cum ipsis non vivunt de altari, & communes decimas non habent, saltem onere eas dandi sint exempti. II. Non est eadem nunc ratio Regularium quoad solutionem decimarum, quæ fuit olim Monachorum. Nam primis Ecclesiæ temporibus Parochis erant subiecti, & Sacramenta ut Laici (quales ferè etiam ipsi erant, cum Ordines tunc non haberent) ab ipsis recipiebant, ut patet *ex c. Ecclesia aliisque* 16. q. 1. ac fusè probatur à Gonzalez *in c. intelleximus de etat. & qual. prefic.* Card. Luca *disc. 1. de Regular.* & Bern. van Espen *l. c. p. 3. tit. 12. c. 1.* Hodie tamen Sacramenta

à Parochis, & Episcopis non recipiunt, excepto Sacramento Ordinis & Confirmationis. Cùm ergò Parochorum jurisdictioni iam non sint subiecti, nec cura, & labor spiritualis ipsis impendatur, sed potiùs ipsi impendant, non est ratio, cur decimas illis persolvant, cùm istæ Evangelij Ministris debeantur ratione sacri ministerij, quod fidelibus impendunt. Verùm hæc etsi evincant, Religiosos benè eximi privilegio Pontificio, non tamen probant, jure communi exemptos esse.

Affert. I. Religiosi ad decimas 104 personales, & ad reales de jure communi instar laicorū tenentur. *Alia est causa Monachorum*, ait S. Hieron. *ep. 1. relat. can. 6. 16. q. 1. alia Clericorum. Clerici pascunt oves, ego pascor; illi de altari vivunt, mibi quasi infructuosa arbori securis ponitur ad radicem, si munus non desero ad altare.* Igitur quoad obligationem dandi decimas Religiosi non reputantur ut Clerici, sicut quoad reliqua, sed ut

G

Laici

Laici. Idem habetur *c. 4. h. t.* ubi dicit Pontifex, urgendos esse Monachos, *ut decimas de terris cultis, in quibus olim domus constituta fuerant, Ecclesia cum ea integritate persolvant, quâ priusquam in eadem Parochia morarentur, solabant persolvi.* Idem supponitur *c. veniens de transact.*

105 Afferit. II. Religiosi, etiam exempti à jurisdictione Episcopi, tenentur ad solvendas reales decimas. Statuitur expressè *c. statuto 2. §. ceterum h. t. in 6. ibi. Religiosi tam exempti, quam non exempti, de terris, & possessionibus acquisitis hætenus, & amodò acquirendis, decimas integrè solvant illis Ecclesiis, quibus eadem possessiones, & terra prius fuerant decimales, nisi super hoc speciali jure, vel privilegio muniti.* Ratio utriusque assertionis est: quia si exempti essent, id foret, vel quia sunt personæ Ecclesiasticæ, vel quia sub generali regula de decimis non comprehenderentur. Primum dici non potest: quia etiam Clerici, etsi magis propriè, & simpliciter Ecclesiasticæ personæ sint, quàm Monachi, non sunt exempti ab onere decimarum, ut patet ex dictis *n. 87.* Sed neque alterum dici valet: quia etiam Religiosi sunt fideles, quibus Pastores Ecclesiæ Divina ministrant. Neque ex eo, quòd Regulares mendicantes, ac plerique alij à jurisdictione Episc-

coporum sunt exempti, sequitur, etiam exemptos esse ab obligatione decimarum, nisi speciali privilegio etiam hoc onere sint liberi, ut patet ex *c. 2. h. t. in 6.* Quia tamen modò Parochis non sunt subiecti, nec Sacramenta ab ipsis suscipiunt, consequens erat, ut sicut ipsa subiectione, ita onere quoque decimarum personalium, imò & realium onere personali solvendarum, liberarentur. De quo tamen privilegio commodius agetur *cap. seq.* 106

Hinc patet responsio ad ea, quæ pro ipsorum exemptione *n. 103.* allata sunt. Ad I.R. Vel Sacramenta administrant, & Verbum divinum prædicant ex officio, id est, ratione Beneficij Ecclesiastici, quod fortè habent; vel ultrò, & spontanea in Deum, & proximum charitate, ut faciunt plerique? Si prius: tunc non solum immunitas à decimis solvendis, sed etiam decimæ ipsis debentur; verùm solum ut Clericis, & Beneficiatis (quod est merè per accidens, & extra præsentis contrarietatis fines) non verò tanquàm Religiosis. Si secundò dicatur, clarum est, nullà ipsos exemptione prætere posse, cum pro labore spontaneo, & ultrò impenso stipendium non debeatur. Illud duntaxat sequitur, legitimam SS Pontifices caulam habuisse ipsos eximendi, dandique privilegia, quæ *seq. n. p. 9. 8.* referemus.

QUE

QUÆSTIO VII.

An Pauperes teneantur dare decimas?

SUMMARIUM.

107. Ratio eximendi Pauperes.

108. Ratio obligandi.

109. Obligantur, si solutis decimis remanet, unde se suosque alant.

110. Extremâ necessitate laborantes non obligantur.

111. Nec tenentur compensare, si ad pinguiorem fortunam venerint.

112. Non tenentur, qui gravi necessitate premuntur.

113. Nequeunt tamen propriâ eas auctoritate retinere.

114. Nisi videant, se frustra à suam indigentiam allegaturos.

115. Tenentur postea compensare quando solvendo fuerint.

107 Pauperes obligatos non esse ad dandas decimas, videtur absolute tenendum esse. I. Quia inhumanum est pro alendo Clero illis aliquid extorquere, qui ægrè se suosque alunt; & templa Dei viva spoliare, ut lapidea erigantur, & ornentur. Certè non est hæc mens Ecclesiæ, quæ pia mater est, & rigore non utitur, nisi in reos contumaces, ac præcipuam pauperum curam semper habuit. II. Quia decimæ sunt tributa egentium animarum, ut ex S. August. dicitur *c. 66. 16. q. 1.* Unde cum Clerici, quibus solvuntur decimæ, teneantur inde pauperes alere, frustra eas, & malè a pauperibus petunt, utpote quas solutas restituere tenentur: *dolo enim facit, qui perit, quod restituere oportet eundem. reg. Jur. 59. in 6. & ut J. Ct. ait l. 8. ff. de doli mali, & met. except. dolo facit, qui perit,*

quod redditurus est. III. Quia cæcus, & pauper ad collectas non tenentur c. 4. de Cens. Hinc pauperes universim ab onere decimarum absolvi antiquus Canonista Melendus apud Innocent. in c. licet de Censib. qui hanc opinionem non improbat.

Absolute verò illis hanc obligationem imponere videntur S. Thó. *q. 87. a. 4. & ibi Sotus ac alij, Alensis p. 3. q. 51. memb. 7. a. 1. Sylvester V. decima n. 13. Angel. alijque Summistæ eod. Gloss. & Gemin. in c. quia 12. q. 1. Joan. Andr. Butr. & Panor. in c. 7. h. t. Tyndar. tr. de decim. à n. 38. Rebuff. q. 5. n. 14. Canif. c. 5. n. 1. Moneta c. 5. n. 28. Hun. cit. c. 2. n. 25. Gonzal. in c. 4. h. t. n. 7. ac communiter alij. Rationem dant I. Quia decimæ debentur ex justitia, & quasi debitum exigere possunt. c. 14. h. t. at propter inopiam injustitia committi non debet.*

G 2

l. pa-

l. palam §. non est ff. de R. N. Neque in debitis habetur respectus paupertatis, nisi postquam debitor bonis cessit: imò *qui bonis cesserint, nisi solidum creditor receperit, non sunt liberati. l. 1. C. Qui bonis ced. poss.* nisi quòd in carcerem detrudi non possunt. II. Quia decimæ sunt Ecclesiæ ex reservatione divina. *c. tua h. t.* Igitur invitâ Ecclesiâ non possunt à quoquam, etiam prætextu paupertatis, retineri: nam nemo jus sibi ipsi dicere potest; & ubi præjudicium alterius vertitur, semper vocandus est is, cujus interest. *arg. c. 2. de Procurat. in 6. l. 47. ff. de Rejud. l. 39. ff. de adoption. l. 49. ff. de inoff. testam.* III. Quia onus solvendi decimas est reale, prædiisque inhærens & idcirco absque respectu possessorum ipsa semper manent obligata Ecclesiæ. IV. Quia pauperes de ipsâ eleemosyna tenentur decimas solvere, ut cit. DD. alique communiter observant: tum quia etiam ipsis ministrantur Divina; tum quia decimæ non solum debentur pro alendo Clero, sed etiam in recognitionem universalis domini divini. *cit. c. tua h. t.* Verùm sicut illa, quæ *num. pr. ec.* attulimus, pauperes non absolvunt ab omni decimarum onere; ita nec ista eosdem absolutè, & sine discrimine ligant.

109 Assert. I. Pauperes, qui communitantum, & tolerabili paupertate laborant, seu redditus quidem tenues habent, sufficientes tamen ad

se suosque, etiam solutis decimis, alendos, ad eas solvendas sunt obligati. Ita communis omnium, & certa sententia. Ratio est: quia est pauper dicatur, qui ex sola opera victum quærere debet, & ultra victum statui convenientè nihil habet. *C. Quod super his de voto, & ibi Panorum not. 3. l. Paupertas 7. & ibi Gloss. ff. de Excusat. Jason in l. si constanter ff. sol. matr. n. 147.* revera tamen indigus non est. Atqui à solvendo debito sola indigentia excusare potest, eaque necessitas, ob quam obligationi satisfieri non potest, absque solventis gravi damno, quale non incurrit creditor ex dilata, vel negata solutione. Suffragatur asserto consuetudo: nam ubique hujus generis pauperes decimas solvunt, nec ullum unquam tribunal renuentes absolvit: alias plurimi ex plebe, & non pauci de nobilitate immunes ab hoc onere forent, & sic non obtineretur finis, propter quem decimæ sunt statuta.

Assert. II. Pauperes, qui extrema necessitate laborant, non tenentur solvere decimas. Ita rursum omnes. Ratio patet: quia in tali necessitate constituti etiam aliena accipere possunt, si is, cui auferuntur, non æquè est indigus: multo igitur magis retinere possunt propria. Ratio ulterior est: quia in extrema necessitate omnia sunt communia. *c. 26. consecr. dist. 5. c. 8. dist. 47. l. 2. ff. ad L. Rhod. de jactu.* Neque obstat *c. 3. de furt.* ut fuse post Covarr.
ac

ac alios ostendit Card. de Lugo d. 16. de Just. n. 153. & 54. & Em. Gonzal. in cit. c. 3. n. 5.

III Limitat assertionē Rebuff. l. c. aitque, debere pauperem in hoc casu habere propositum reddendi, si ad pinguiorem fortunam venerit, & id in confessione aperire, ac promittere. Hoc Suarezius tom. 1. de Relig. l. 1. c. 16. n. 17. asserit esse plane fallum, eò quòd is, qui in extrema necessitate accipit alienum, illudque consumit, postea non teneatur restituere, quia nec tenetur ratione acceptionis, quæ justa fuit, nec ratione rei acceptæ, utpote quæ consumpta jam est: ergo à fortiori neque in nostro casu; neque accipitur tunc res aliena, sed propria. Verum licet falsa sit doctrina Rebuffi quoad obligationem confitendi; quid enim opus est exprimi in Confessione, quòd ob extremam necessitatem non solveris, & promitti, quòd cessante necessitate solvere velis, cum non solvendo non peccaris, & propositum solvendi habere possis absque eo, ut illud exprimas Sacerdoti, nec præceptum ullum extet, vel necessitas id exprimendi? Si tamen loquamur de obligatione restituendi, quando necessitas desierit, & solvendo fueris, non meretur ullam censuram illa assertio, cum multi graves D.D. obligationem agnosceant restituendi sublata necessitate, & datâ solvendi copiâ, si etiam in extrema necessitate alienum acce-

pisti, aut debitum non solvisti; ut videre est apud Lessium de Just. c. 16. à n. 3. & Card. de Lugo disp. 16. à n. 170. & disp. 21. à n. 1.

Asser. III. Pauperes, qui gravi necessitate laborant, ita ut solutis decimis se suosque alere non possent, sed gravi penuriâ laborare, aut mendicare aliudve grave malum subire cogentur, ad eas solvendas non tenentur. Ita sentio cum Suar. cit. c. 16. n. 16. & 18. Laym. l. 4. Theol. Mor. tr. 6. c. 3. n. 6. Palao tr. 10. disp. un. pun. 11. n. 2. Pirhing h. 1. n. 46. aliisque, contra Jo-an. Andr. Panorm. Rebuff. Canis. ac alios, qui extremam solùm necessitatem exprimunt. Verum nec isti re ipsa dissentire videntur, sed solùm aliter explicare extremam necessitatem, quàm accipiatur passim à Theologis, & quam isti dicunt gravem, ipsi dicere extremam. Ratio est: quia Ecclesia non censetur velle, ut cum tanto rigore exigantur, & pauperes non habeant sustentationem sibi suisque congruam; cum enim velit, ut Clerici de Decimis, aliisque redditibus beneficiis, hisce pauperibus succurrant, profectò non vult, ut ad solvendum adigantur, quod ipsis Clerus erogare tenetur; hoc præcipue tempore, quo pars illa reddituum Ecclesiasticorum, quæ pauperibus destinata erat, cum alijs confusa est, ita ut largitio in pauperes faciendâ ex arbitrio Clericorû pendeat.

III

113 Geminam tamen limitationem, quam assertioni plerique vel apponunt, vel supponunt, libenter admittunt. Prima est, quod pauperes modo dicti retinere decimas propria auctoritate non possint, sed prius suam inopiam pastoribus Ecclesie representare, & probare debeant: quia licet pauperibus, vel in alios pios usus erogari debeat, quod ex decimis aliisque redditibus Ecclesiasticis superfluum est, hæc tamen dispensatio est commissa Clericis, non verò ipsis pauperibus; cum nullus eorum in specie jus aliquod habeat. Unde prius ipsi satisfacere obligationi suæ debent, & tunc Clerici restituere tenentur, si ita exigat debitoris inopia, vel brevi, ut ajunt, manu acceptas remittere. Neque prædicta regula, quod *dolo facit, qui redditurus est*, locum habet, quando præjudicium alterius vertitur, ut observant Butrio, alique in *c. 7. h. t.* & Glossæ ac Turrecr. in *c. Quicumque 16. q. 7.* post Hostiens. Goff. ac alios. Quia etiam is, qui ratione paupertatis tutelam, vel curam subterfugit, allegare ipsam, & probare tenetur. A fortiori igitur allegare eandem, ac probare debet, qui debitum non solvit. Aliàs innumeris deceptionibus (ut alia taceamus) ansa daretur. Quomodo probanda sit paupertas, latè tractant Covarr. *l. 2. var. c. 6. n. 7.* Mascard. *vol. 3. de Probat. concl. 1154. n. 13.* Pacian. *l. 1. c. 54. n. 35.*

114 Si tamen pauper gravi necessi-

tate laborans existimet, decimas sibi remissum non iri, etiamsi illam alleget, ac probet, non tenetur allegare, sed decimas retinere potest; modò certus sit de sua necessitate, ut benè observant Suar. *l. c. n. 18.* & Palao *l. c. n. 2.* non enim injuriam in tali casu decimatori facit, sed retinet solum, quod sibi debetur, & iniquè negatur.

Alteram limitationem communior¹¹⁵ addit, quòd qui gravi, non verò extrema necessitate pressus retinuit decimas, restituere postea, ac compensationem facere debet, quando ad pinguiorem fortunam venerit, & solvendo fuerit, seu, quod idem est, gravi necessitate non tolli, sed solum differri obligationem solvendi. Sequitur ex generali illa doctrina, quam tenent communissimè DD. contra nonnullos, quòd is, qui rem alienam, vel propriam, quam debebat alteri, in gravi necessitate consumpsit, teneatur postea restituere, quando potis solvendi est: neque enim casus decimarum videtur excipiendus, cum obligatio eas solvendi sit ex justitia, & non minus fortis, quàm aliæ obligationes, ac Ecclesia in præjudicium eorum, quibus decimæ debentur, non velit plus favere debitoribus, quàm quantum requirit eorum necessitas, ac Charitas Christiana; at utraque hæc solum requirit dilationem, non verò omnimodam condonationem. Alia ratio est extremæ necessitatis: quia hæc omnia (ut aiunt) facit

facit comūnia, & qui ex illa alienū, vel accipit, vel retinet, non tam de alieno, quā de proprio disponit. Verū tamen esse existimamus, etiā illum, qui non extrema necessitate pressus, inopiā suā pastoribus Ecclesiā probatā ad solvendum com-

pulsus non est, debito prorsus liberari: censendi enim illi sunt donationem fecisse: si enim dilationem tantū concedere voluissent, id expressissent. Ex hactenus dictis abundē patet responsio ad rationes in contrarium.

Q U Æ S T I O V I I I .

*Quis ex prædio locato teneatur solvere decimas,
Locator, an Conductor?*

S U M M A R I U M .

116. *Varij modi locandi prædia.*

117. *Si Colonus est partiarius, solvit tam ipse, quā locator.*

118. *Vel ex fructibus nondum divisis vel post hos divisos quisvis ex sua parte.*

119. *Si pro certa pensione locatus est fundus, solvit solus colonus; sicut & emphyteuta.*

120. *Occurritur objectioni.*

121. *Ex sua pensione locator ad ni-*

hil tenetur.

122. *Solus fundi dominus tenetur, si pro certa mercede conduxit coloni operam.*

123. *Tenetur quidem iste ex sua mercede ad decimas personales.*

124. *Ferè tamen excusatur.*

125. *Exempto domino etiam colonus eximitur.*

126. *Dummodo privilegium domini sit reale.*

cet 11. eod. ibi: non est licitum vobis decimas de terris vestris subtrahere, quas aliis traditis excolendas. Uterque verò oneri decimarum subiicitur c. à nobis eod. ibi: respondemus, quòd à dantibus, & recipientibus p. sessiones ad firmam, de fructibus, quos percipiunt, decimæ sunt solvenda. Et c. tua 26. eod. dicitur: sicut colonus de parte fructuum, quæ sibi remanet ratione cultura: sic & dominus de portione, quam percipit ratione terra, decimas

116 **D**ominus an Colonus ad decimas prædiales obligetur, valde ambiguum esse videtur propter jura inter se (ut quidem apparet) pugnantia. Nam solum colonum obligari, sumitur ex c. s. b. r. ubi quibusdam Religiosis præcipitur, ut de possessionibus ad firmam acceptis, seu conductis, plenariè solvant decimas: nec fit mentio de domino locante. Solum coloni meminit etiam Clem. 1. eod. Econtrario solus locator videtur obligari c. li-

nam reddere sine diminutione tenetur. Ut hæc jura antinomiam non contineant (uti revera non continent) varij modi, quibus prædia elocari soleant, distinguendi sunt. Nam I. locari possunt eâ lege, ut dominus à colono accipiat dimidiam, vel tertiam fructuum partem. Et tunc colonus dicitur Partiarus, eò quòd partiatum fructus cum domino locante, seu partem unam, aut plures illorum percipiat. II. Conducitur quandoq; solùm opera coloni pro mercede, vel in pecunia, vel in fructib⁹ solvenda: quo casu solvi merces operæ debet, etiã si ex aliquo infortunio, & absq; coloni culpa nihil fructuum proveniat. III. Quandoque fundus conceditur sub censu annuo pendendo in certa quantitate, vel pecuniæ, vel fructuum. Quæ concessio Emphyteusis est, si præter annuam præstationem ad meliorationes tenetur colonus; si servitutem fundo, vel jus servituti in effectu simile imponere fundo potest: si canon solvitur in recognitionem dominij directi &c.

117 *Affert. I.* Si colonus est partiarus, seu mediarius, ita vid. ut pars dimidia, vel tertia, fructuum debeat domino, ad decimas tenetur tam conductor, quàm locator; quilibet pro rata fructuum, quos percipit. Patet ex *cir. c. 24. & c. 26. h. t.* & tradunt ibi Gloss. Panorm. *n. 14. & in C. Cum sint. h. t. n. 5. & c.* ac passim alij. Ratio est: quia hac locandi ratione inicitur quædam so-

cietas, & utriusque sunt fructus. Unde, cum quilibet ex suis fructibus obligetur ad solvendas decimas, consequens est, utrumque debere solvere; nisi aliud in pactum deductum sit vel consuetudine receptum.

Duplex porrò modus est ex his¹¹⁷ fructibus dandi decimas. Primus, isque optimus, ac usitatus, si ex fructibus nondum divisis decimæ separantur, & his separatis ex reliquo cumulo sua cujque pars tribuatur: & tunc neuter ex hac parte ad quidquam ampliùs tenetur, quia ex iisdem fructibus decimæ bis non debetur. Sed neque ad personales decimas postea tenentur: hæc enim debentur ex lucris personæ. At verò fructus isti non sunt lucra personæ, sed prædij proventus: decimæ autem ex prædij sunt reales, & hæc jam sunt solutæ. Alter modus est, ut priùs integrum cumulum fructuum inter se pro rata dividant, & postea quilibet de suo decimas separatim solvat.

Affert. II. Si locatus est fundus pro certa pensione, v. g. ut solvat colonus domino quotannis sex tritici medimnos, decimas solvere debet solus colonus. Ita post Innoc. Hostiens. & Gloss. *l. c.* Panorm. *ll. c. c.* Moneta *c. 6. n. 40. & 42.* Azor *p. 1. l. 7. c. 24. q. 4.* Canis. *c. 4. n. 2.* Zoel. *h. t. n. 62.* Pirrhing. *h. t. n. 48.* aliique communiter, sicque intelligendum est *c. 8. h. t. Clem. 1. eod.* Ratio est: quia onus decimarum est annexum fructibus. *c. 28. & 33. h. t. cum*

cum ergo in tali casu colonus omnes fructus faciat suos, consequens est, quod cum illis in ipsum transeat etiam onus decimarum. Idem dicendum est de Emphyteuta: tenetur enim solus decimas integras solvere, nihil verò Dominus directus, ut mox dicemus.

120 Dices, hac ratione colonum nimium gravari. Etiam si enim omnes fructus faciat suos, tenetur tamen inde solvere certam quantitatem vel pecuniæ, vel fructuum: ergo re ipsa idem est, ac si aliqua pars fructuum immediatè cederet ipsi domino; & sic non videtur esse aliquod discrimen inter hunc casum, & illum alterum n. 117. propositum. Ergo sicut in illo dominus fundi tenetur pro rata solvere decimas, ita pariter in isto tenetur solvere pro rata mercedis. R. non gravari nimium: quia etsi solus sustineat onus decimarum, minuitur tamen propter illud pensio solvenda, quæ utique maior imponeretur, si divisum esset onus decimarum inter ipsum & locatorem: ponitur enim, justam esse mercedem locationis, tametsi onus illud conductori incumbat, id est, impositam esse non tantam, quæ correspondeat decem partibus fructuum, sed eam solum, quæ correspondeat novem partibus, quæ remanent colono.

121 Assert. III. Locator in casu modo dicto non tenetur ad decimas. Ita cum Hostiens. Joan. And. Innoc. & Panorm. sentiunt Gloss. in c. tua

nobis. Suar. c. 35. n. 14. Zoel. h. t. n. 24. contra Abulensem in c. 23. Math. q. 204. qui existimat, locatorem teneri ad decimas ex pensione: quia, ut ait, est lucrum ipsi accrescens, & ex omni lucro debetur decima. Cum Abul. sentiunt Gloss. l. c. & Moneta cit. c. 6. n. 40. in fin. Verum assertio nostra omninò tenenda esse videtur. Si enim teneretur ad decimas, tunc vel ad prædiales, vel ad personales? Non ad prædiales: hæ enim ex toto fructuum cumulo solvuntur à conductore, & sic illa pensio, quæ locatori datur, jam est decimata à colono; neque ex eadem re decimæ bis debentur. Non ad personales: partim quia illa pensio, quamvis fortè fiat in pecunia, non est lucrum ex industria personæ, sed proventus ex fundo: partim quia locator ex illa dat decimas per colonum, dum propter annexum earum onus exigit minorem pensionem, eamque duntaxat, quæ correspondet novem partibus penes conductorem remanentibus. Unde si & ipse ad decimas teneretur, illæ ex eodem proventu bis solverentur.

122 Assert. IV. Si pretio conductæ est opera coloni, nim. ut fundum colat pro certa vel summa pecuniæ, vel quantitate fructuum, solus fundi dominus ad decimas obligatur. Est hæc sententia Panorm. in c. tua nobis h. t. n. 14. Moneta c. 6. n. 40. Azor. l. c. aliorumque communis. Constat ex c. 22. & c. 33. h. t. Et

H de

de hoc casu procedit *c. 11. eod.* ubi solus locator videtur obligari ad decimas. Ratio patet ex dictis *n. 119.* quia is debet decimas, cujus sunt integri fructus: atqui fructus omnes in tali casu sunt locatoris. Neque refert, quod non omnes apud ipsum remaneant, eò quod certam eorum partem, vel pecuniam, colono pro mercede solvere tenetur. Non, inquam, hoc obstat quia re verà omnes fructus suos facit æquè ac agricola, qui suis manibus fundum colit. Unde sicut iste juxta *cit. c. 22. §. 33.* solvere tenetur integras decimas, non deductis prius expensis, ita pariter locator tenetur integras solvere, antequam deducat mercedem colono debitam. Neque in tali casu dominus fundi, si propriè loquamur, locator est, sed conductor: conducit enim coloni operam, sicut agricola mesorum, diciturque prædium colere suis sumptibus, ac manibus, tametsi colat per alium: ut patet ex *c. 27. 28. §. 29. h. t.* Isque, qui fundum sic colit, propriè colonus non dicitur, sed mercenarius.

⁶²³ Assert. V. Colonus in casu modo dicto, quando vid. suam operam fundo colendo pro certa pecuniæ, vel fructuum quantitate locat, tenetur ex sua mercede decimas personales, sicubi in usu sunt, solvere. Ita Joan. Andr. *in c. cum sint h. t. Pa-norm. l. c. n. 15.* Abulens. *cit. q. 204.* Suar. *l. c. n. 13. §. 14.* Moneta *l. c. n. 42.* Ratio est: quia merces, quam

accipit, non est fructus fundi, sed lucrum ex propria industria; unde ex illo ad decimam personalem, non minus quam alij mercenarij, ac famuli ex sua mercede, aut negotiator ex suo lucro, deductis tamen, ut infra dicemus, prius expensis, & in his computando suum laborem, quantum vid. iste valet juxta communem estimationem. 114

Dices: Dominus fundi juxta dicta *n. 121.* ad nihil tenetur, si illum locavit pro certa mercede sibi solvenda: quia integras decimas solvit colonus. Ergo vicissim in isto casu ad nihil tenetur colonus, quia integras decimas solvit dominus. R. non esse paritatem: nam in illo prior casu canon, quem accipit à colono, vel emphyteuta dominus, non est merces operæ, ac lucrum personæ, sed fructus fundi; ex fundo autem solus colonus, ac emphyteuta integras decimas solvit, estq; proinde liber dominus. Merces è contrario, quam pro fundo colendo accipit colonus, est lucrum industria: ex lucris autem de jure communi debentur decimæ personales. Neque obstat, si fortè non pecunia constituitur, sed certa pars fructuum; nam hi substituuntur loco pecuniæ. Ordinariè tamen ad nihil tenetur, tum quod decimæ personales ferè in desuetudinem abierunt; tum & vel maximè, quia estimationem sui laboris detrahere potest, quâ detractioe factâ ferè nihil residuum lucri erit, cum opera, & labor 115

labor ordinariè perfectè respondeat mercedi, & hæc illum rarò excedat, ac sæpè sit minor. Putat Suar. *l. c. in fine*, huiusmodi colonum ex eo quoque capite excusari posse, quòd censeatur esse quasi usufructuarius, & habens dominium utile fundi, & consequenter mercedem, quam accipit, non tam lucrum esse personæ, quàm fructum fundi. Cùm ergo decimæ ex fructibus fundi integræ persolvantur ab ipso domino, ad nihil tenebitur colonus.

125 Assert. VI. Si dominus fundi habet privilegiū reale exemptionis à decimarū solutione, neq; colonus ad decimas reales obligatur. Patet à sensu contrario ex *Clem. 1. h. t.* & ibi tradunt *Gloss. V. ad excolendas. Anchar. n. 6. Card. n. 21. Henriq. in Summ. l. 7. c. 27. n. 8. Moneta c. 5. n. 2. Gonzal. in c. 4. h. t. n. 9.* ac alij. Ratio est: quia privilegium reale de jure communi transit in colonum cum usufructu fundi, ut cum communi tradunt apud *Henriq. l. c. lit.*

K. Socinus jun. l. 2. consil. 268. col. 1. & consil. 296. n. 6. Panorm. in c. 1. h. t. n. 4. & l. 1. consil. 9. dub. 2. Bonifac. de Vitalin. in clem. 1. de Privil. n. 31. Huiusmodi privilegium reale concesserunt Societati Jesu Paulus III. Pius IV. & Greg. XIII. Qui ultimus expressè derogavit capitulo 34. *h. t.*

Diximus: *si dominus habet privilegium reale.* Personale enim, cùm inhæreat offibus personæ, utiq; ad alios non transit. Hinc quia quorundam Religiosorū privilegia, saltè olim, solum erant personalia, idcirco præcipitur *c. 11. h. t.* ut de terris, quas alijs tradunt colendas, decimæ solvantur. Utrū verò privilegium reale sit, colligendum est ex verbis rescripti, quæ si immediate procedant de prædijs, non personale, sed reale erit, ut benè observat *Franc. Leo p. 2. thes. for. Eccl. c. 12. n. 62.* Verùm de his infra futurius.

QUÆSTIO IX.

An Possessor fundi teneatur ad decimas ab antecessore non solutas?

SUMMARIUM.

127. *Difficultas questionis.*

128. *Auctoritas pro obligatione successoris.*

129. 130. 131. *Rationes pro eadem.*

132. *Successor universalis tenetur*

ad decimas à testatore non solutas.

133. *Particularis ad nihil tenetur.*

134. 135. 136. *Prima ratio assertiva.*

H2

137.

137. 138. 139. 140. 141. Alteratio.

142. Tertia.

143. 144. Decima non sunt tributum proprie dictum.

145. Quo sensu Deus dicatur eas sibi reservasse.

146. 147. 148. Discrimen inter Tri-

127 **Q**uestio est, an si Titius uno, vel pluribus annis ex suo fundo decimas, vel ob impotentiam, juxta ea, quæ de pauperibus diximus à n. 109. vel ex negligentia, & iniquitate non solvit, ac postea eundem Caio vendat, novus hic possessor decimas à Titio non depensasolvere teneatur. Ardua hæc, si qua alia de decimis, controversia est, utrimque stantibus, tum gravibus & multis DD. tum magno rationum pondere, ut difficile sit discernere, affirmans, an negans opinio sit probabilior. Unde immeritò dicit Canis. c. 4. h. t. n. 3. certum esse, quòd solummodo Titus cogendus sit.

128 **N**ovum fundi dominum conveniri posse, tenerique, si conveniatur, ad solvendas decimas præteritas, tenent cum Joan. Andr. Hostiens. & Frider. de Senis, Panorm. in c. 7. n. 6. & c. 28. h. t. n. 5. Cassanæ, in consuet. Burgund. rubr. 4. §. 16. n. 4. & rubr. 11. §. 6. n. 3. Tiraq. de retract. lig. §. 6. Gloss. 1. n. 7. Valasc. de jure Emphyt. 9. 17. n. 18. Rebuff. 9. 9. n. 9. Cened. ad decretal. collect. 86. n. 3. Gigas de pension. 9. 39. n. 10. & 9. 43. n. 4. Nicol. Everh. in Topic. loc. à tribut.

buta & Decimas.

149. Decima non sunt onus prædicti immediatè annexum.

150. Nec habent tacitam hypothecam in bonis debitorum.

151. Non valet hic argumentum à dote, pupillo, & fisco.

ad decim. n. 3. & Consil. 183. n. 5. Capyc. decis. Neap. 26. n. 26. Azot p. 1. l. 7. c. 24. q. 2. & 9. 18. Gutierrez l. 1. 99. can. c. 1. n. 111. Aug. Barbof. l. 3. Jur. Eccl. c. 26. §. 4. n. 11. & de off. Paroch. c. 82. §. 4. n. 11. nec non in c. 33. h. t. n. 3. Honorius h. t. n. 29. Garcias de expensis c. 11. n. 54. Gonzal. in c. 14. h. t. n. 2. Engel h. t. §. 1. n. 17. alijque ab his relati. Et quidem multi eorum, aut plerique, hoc concedunt etiam tunc, quando antiquus possessor conveniri potest. Unde ajunt, in arbitrio decimatoris esse, convenire novum possessorem, vel antiquum. Advertit tamen sapienter Engel n. 20. hanc opinionem locum non habere, si decimatio competat laico, vel clerico titulo patrimoniali vel singularis privilegij, eò quòd favor de tributorum onere transeunte ad novos possessores, sit publicus, & pro Principibus, ac Ecclesia statutus, non pro particularibus personis, quibus privato tantum, & profano titulo aliquod jus competit.

Rationes adduci solent serè istæ. 129
I. indubitatum est privilegium fisci, ut novos possessores ob non soluta soluta

ab antecessoribus tributa convenire possit. *l. 7. ff. de Public. & vetig. l. 36. ff. de Jure fisci. l. 5. §. fin. ff. de Censib. l. pen. & ult. C. sine censu vel reliq.* ergo etiam onus solvendi decimas non dependas trahit in novum successorem. Consequentia patet 1. quia decimæ sunt quoddam tributum Ecclesiæ, imò Deo in signum universalis Dominij debitum. *c. 26. & 33. h. t.* tributum enim nihil aliud est quàm pensio vi jurisdictionis à Principe imposita in agnitione potestatis ejusdem, & ad sustinenda communia onera. Accedit, quòd *cit. c. 26.* decimæ dicuntur esse *tributa egentium animarum*. Patet 2. quia à fisco ad Ecclesiam bona est argumentatio, ut latè probat Everhard. *in Topic. loc. à fisco ad Eccles.* Bona item est argumentatio à tributo ad decimam, ut idem probat *loc. à tributo ad decimas*. Patet 3. quia decimæ magis privilegiatæ sunt, quàm tributa, cum ante hæc solvendæ sint, juxta *c. 33. h. t.* Unde si tributa habent privilegium, ut nondum soluta solvi debeant à successore, à fortiori idem privilegium habent decimæ.

¹³⁰ II. Decimæ sunt onus reale, seu prædijs annexum: ergo cum prædijs transeunt ad quemcunque possessorem, ut sumitur ex *c. 32. h. t. & can. 42. 16. q. 1.* Hinc etiam Judæi, alique Infideles tenentur ad decimas solvendas ex prædijs, ex quibus Ecclesia percepit decimas, ante-

quam ad ipsos pervenirent. *c. 16. h. t.*

III. Bona mariti uxori pro dote tacitè obligata sunt, & cum suo onere transeunt ad quemcunque possidentem. *c. 5. de Pignor. l. 1. ff. sol. matr. l. un. C. de Ux. act.* atqui à dote ad Ecclesiam, ac universim, ad piam causam, bona est argumentatio, ut fusè tradit Everhard. *loc. à dote ad piam causam*. ergo prædia quoque obligata sunt Ecclesiæ, & cum suo onere ad quemcunque possessorem transeunt.

Assert. I. Successor universalis tenetur ad solvendas decimas tam personales, quàm reales, à testatore non solutas. Assertionis veritas non tam probanda, quàm supponenda est: nam, uti noti Juris est, hæres, sicut comparat dominium bonorum defuncti, ita tenetur ad omnia ejusdem debita, & quidem ultra vires hæreditatis, si inventarium non confecit: cum enim in univèrsum jus defuncti succedat, & cum ipso eadem censetur persona *l. 11. ff. de div. temp. præscript.* consequens est, quòd conscientiam defuncti exonerare teneatur. *c. fin. de sepult. & DD. in c. Vigilanti de præscript.* & factum defuncti præstare *l. 17. C. de R. V.* ac proinde æs alienum, & debita ejusdem exsolvere.

Assert. II. Successor particularis qui v. g. emptione, aut permutatione accepit fundum, non teneatur solvere decimas præteritas, ab antecessore non solutas. Ita sentio cum

cum Suarez tom. 1. de Relig. l. 1. tr. 2. c. 38. n. 9. (quem August. Barbosa cit. c. 28. §. 4. malè pro contraria opinione allegat) Canif. cit. c. 4. n. 3. Laym. l. 4. Theol. mor. tr. 6. c. 2. n. 5. Pirhing h. t. n. 161. Schambogen eod. n. 51. Zoëf. h. t. n. 26. Fagundez eod. l. 3. c. 6. n. 2. Bern. van Espen p. 2. Jur. Eccl. tit. 33. c. 9. n. 24. & 25. Mich. du Perrey tr. de Port. congrua p. 2. c. 30. n. 38. ac alijs, præter complures antiquos Canonistas, quos allegat Panorm. l. c.

134 Probatur I. Possessori novo absque claro textu juris, vel urgenti ratione non debet imponi onus gravissimum decimas præteritas, quas antecessor non pendit, solvendi. Atqui nullum jus extat, quo hoc onus imponatur, nec ulla datur efficax ratio, quæ cogat imponi: ergo &c. Major patet: quia onus solvendi decimas ex suo fundo est per se grave, uti liquet, cum tollat magnam partem fructuum, quos ex re nostra percipimus. Foretque gravissimum, ac intolerabile, si insuper decimæ præteritæ solvendæ essent, illorum nim. fructuum, quos non percepimus: præcipuè cum ex contraria sententia sequatur, successorem solvere decimas debere, quas antecessor per 10. aut 20. años non solvit; qua ratione summopere læderetur, & quandoque plus solveret, quam quantum valet ipse fundus, quem emit.

135 Neque dicas, alterutrum læden-

dum esse, nim. vel novum possessorem, vel Ecclesiam: præstare autem lædi illum, quam hanc; tum quòd hujus conditio per se sit favorabilior, tum quòd læsa est in jure jam quæsito. Respondetur enim: vel decimator negligens fuit in jure suo tuendo, & non exegit decimas, quas consuetis juris remedijs consequi potuisset; vel ob potentiam antiqui possessoris, aut paupertatem &c. obtinere non valuit. Si prius; suæ culpæ tribuere debet, non verò illam luere novus possessor: si posterius; suo id infortunio adscribat; sicut adscriberet, si fructus casu fortuito perijissent: non enim existimo, dicturos adversarios, si fructus ita perierint, cogi ad solvendum posse novum possessorem; cum in tali casu nec ipse antiquus possessor, dum adhuc fundus in ipsius dominio esset, ad quidquam potuerit obligari. Neque apparet ulla disparitatis ratio, quare potius obligandus sit novus possessor, quando antiquus ex malitia non solvit, vel paupertate, quam quando fructus casu fortuito perierunt.

Minor porrò propositio ratio-¹³⁶ nis allatæ tum patebit ex solutione contrariorum, tum patet ex praxi: nam non constat, ullibi cogi novos possessores ad solvendas decimas præteritas, si solus fundus absque fructibus ad ipsos pervenit, neque quisquam est Adversariorum, qui contrariam praxin alleget. Quod si est.

si efficax aliqua ratio, vel jura, hanc obligationem novo fundi domino imponerent, haud dubiè Ecclesia suum jus non negligeret, aut usurpasset saltem aliquando, donec contraria consuetudine fuisset sublatum.

137 Probatur II. Obligatio solvendi decimas immediatè annexa est fructibus, & fundo solùm mediatè, seu ratione fructuum: ergo illas non tenetur solvere, qui fructus non percipit. Consequentia patet; quia si onus decimarum immediatè est annexum fructibus, tunc illa solùm debentur, quando & quatenus fructus colliguntur, & ab illo, qui colligit: non ergo debentur ab eo, qui nullos percipit. Cùm enim res transeat cum suo onere, onus decimarum, si est annexum prædio, transit duntaxat ad eum, ad quem transit prædium; si fructibus est annexum, transit duntaxat ad illum, ad quem transeunt fructus.

138 Antec. probatur ex c. 24. 26. 28. 33. h. t. ubi onus decimarum aperte annectitur solis fructibus, cùm dicatur, ab ijs solvendas esse decimas, qui fructus percipiunt; non ergo ab illis, qui fructus non percipiunt, sed solùm habent prædia. Neque obstat c. 8. 16. 32. 42. 16. 9. r. ubi illud onus videtur annecti ipsis prædijs, dum dicitur, solvendas ab illis decimas, ad quos possessiones, & fundi perveniunt; sive dominium eorum acquirant, sive con-
ducant. Nam Jura illa aperte lo-

quuntur de solis fructibus nascituris, non verò de præteritis, ut nimirum illi, in quos transferuntur possessiones, de fructibus, quos inde collecturi sunt, decimas solvant. Unde hæc eadem Jura contra nostram assertionem superiùs adducta, eam aperte comprobant: cùm enim loquantur solùm de decimandis fructibus, quos novus possessor, vel colonus percepturus est, non verò de præteritis, quos antiquus possessor percipit, eo ipso dicunt, novo possessori aut colono solùm decimandos esse illos, quos ipse percipit; non, quos percipit alius.

Confirmatur idem antecedens I. 139
Qui pro mercede solvenda conducit, & colit fundum, solus ad decimas tenetur, non obstante, quòd ejus dominium, & possessio manet penes locantem, & licèt specialiter non fuerit deductum in pactum, ut solvat potiùs conductor, quàm locator, uti patet ex c. 8. 28. & 33. h. t. ergo onus decimarum annexum est prædio solùm mediatè, & ratione fructuum, quos possessor, vel colonus percipit: nam si immediatè annexum esset prædio, & independentè à fructibus, quos novus possessor, aut colonus colligit, solus locator solvere decimas deberet, aut certè unà cum colono.

Confirmatur II. Si quis auferat 140
integros ex meo fundo fructus, ipse tenetur ad integras decimas solvendas, ad nihil ego. Pariter ad nihil teneor, si inundatione, grandi-

ne, depopulatione hostili similive infortunio fruges perierunt. Igitur onus annexum est fundo non nisi ratione fructuum. Ergo qui absque sua culpa nihil percipit, ad nihil tenetur. Econtrario onus solvendi tributa annexum est ipsi fundo, uti patet ex *l. 7. ff. de Public. & vectigal. l. 3. C. de annon. l. 36. ff. de Jure Fisci*. Unde per se loquendo dominus prædij conveniri de tributo potest, tamen si nihil inde fructuum, uno saltem vel altero anno, percipiat.

141 Confirmatur III. Si onus decimarum esset per se annexum prædij, novus possessor ultrò, & non postulatus teneretur solvere decimas præteritas, saltem si Ecclesia eas ab antecessore consequi non potest; sicut tenetur ultrò solvere, quando ipsemet percipit fructus. Atqui nemo etiam Adversariorum hoc onus ipsi imponit, sed solum videntur dicere, tunc teneri, quando convenitur. Agnoscunt igitur, hoc onus immediatè esse annexum fructibus, & non fundo, ac proinde illum teneri, qui percipit.

142 Probatur assertio III. ex *cit. c. 33. h. t.* ubi dicitur, prius ex frugibus solvendas esse decimas, quam tributa inde aliàque onera deducantur. *C. 21. eod.* juxta quod Agricultores censurâ Ecclesiasticâ compellendi sunt, *ut de omnibus prædiorum fructibus decimas absque diminutione persolvant. C. 24.* ubi respondet Pontifex, quòd a danti-

bus & recipientibus possessiones ad firmam, de fructibus, quos percipiunt, decimæ sint solvenda. Illi ergo tenentur solvere decimas, qui fructus percipiunt; non qui prædia sine fructibus detinent; nam hoc ultimum nullibi decernitur, sed potius contrarium: cum enim citata jura solum loquantur de ijs, qui fructus percipiunt, à sensu contrario bene inferitur, non deberi decimas ab ijs, qui fructus non percipiunt. Denique *cit. c. 33.* ubi dictum est, *exactionem tributorum, & censuum precedat solutio decimarum,* mox dicitur: *vel saltem hi, ad quos census, vel tributa indecimatata pervenerint (quoniam res cum suo onere transit) ea per censuram Ecclesiasticam decimare cogantur Ecclesijs, quibus de jure debentur.* Is ergo solum tenetur ad decimas, ad quem fructus, & census indecimatati transierunt; non verò etiam ille, ad quem aut nulli fructus aut iam decimati pervenerunt.

Ex dictis patet solutio eorum, ¹⁴³ quæ in contrarium allata sunt. Ad paritatem inter tributa profana, & tributa sacra decimarum R. in primis N. suppositum, quòd decimæ sint tributum propriè dictum: nam, uti cum Glossa in *c. 26. h. t.* notant Suar. *l. c. n. 9.* Canif. *c. 4. n. 7.* aliique, solum dicuntur tributa metaphoricè, & in latiore significatione. Ratio est I. quia non dantur Decimæ Principi in signum superiorita-

tis ac ad sustinenda communia Reipublicæ onera (quod ad rationem Tributi propriè dicti requiritur) sed penduntur privatis Ecclesijs ac personis, tum in stipendium sacri ministerij, tum in sumptus Sacrificiorum, ornamenta Ecclesiarum, & subsidium pauperum. II. Quia tributa præscribi non possunt. *l. 6. C. de præscript. 30. vel 40. annor. Panorm. in c. 13. de Præscript. n. 18. & 19. Felin. ibid. n. 20. Balbus de præscript. p. 2. p. 5. q. 1. n. 1. Decimæ verò præscribi possunt. c. 4. & 6. de præscript. 29. h. t. & infra fufius dicetur: non sunt ergo tributum.*

144 Unde non obstat, quòd *cit. c. 26. dicuntur Tributa egentium animarum*: non enim alio sensu ita vocantur, quàm quòd inde pars aliqua tribuitur pauperibus; nisi velimus dicere, eleemosynas esse regalia egenorum, iisque eo jure deberi, quo tributa Principibus.

145 Pariter non obstat, quod dicitur *cit. c. 33. h. t. Deum sibi reservasse decimas in signum universalis dominij quasi titulo quodam speciali.* Nam I. Deus illas sibi solùm reservavit in lege Veteri, non verò in Nova, ut diximus *n. 37.* unde licet propter hanc reservationem tempore Legis Mosaicæ fortè dici poterint *Tributum* Deo pendendum: quia tamen illa lex antiqua cessavit, & nova à Deo lata non est, jam non nisi impropriè possunt dici Tributum divinum. II.

Etsi Ecclesia illas præceperit ad honorandum Deum, & agnoscendum supremum ejus in nos dominium, non tamen alia ratione id statutum est, quàm quo Sacrificia, Preces, perceptio Sacramentorum &c. quæ tamen propterea Tributum, nisi in sensu quodam metaphorico, dici nequeunt. III. Decimæ non aliter offeruntur Deo, quàm quatenus ejus famulis, & Ministris sacris in stipendium laboris, ac sustentationem, penduntur. Quod non sufficit ad rationem Tributi propriè dicti: hoc enim immediatè præstatur Principi. Aliàs etiam eleemosynæ essent Tributum, quia in honorem supremi rerum Domini erogantur in pauperes.

Respondetur II. Longè disparem esse rationem Tributorum, & Decimarum: hæ enim sunt onus immediatè annexum fructibus, ac propterea solvuntur ab eo, qui fructus percipit. Tributa verò rebus inhærent, ac proinde cum his ad quemcunq; possessorem transeunt. Dices: tributa solvuntur etiam ex fructibus, hisque annexum onus sunt *l. 13. ff. de Impens. in res dot. fact.* ubi Paulus ait: *Neque stipendium, neque tributum, ob dotalem fundum præstita, exigere vir à muliere potest: onus enim fructuum hæc impendia sunt.* Ergo sicut successor fundi tenetur ad tributa ab antecessore non soluta, tametsi hæc sint impendia, seu onus fructuum;

um; ita successor in fundo tenetur ad decimas, tametsi hæc sint onus fructuum. Verum non valet hæc illatio: maritus enim ad tributa tenetur, quia non solum possessor fundi dotalis est, sed fructus quoque ex eodem percipit: præcipue quia fundus dotalis tacite fisco est obligatus *l. 1. C. si propt. publ. pensit. & l. inter 42. ff. de Pactis*. Quæ ratio, ut patet, non pugnat in nostro casu, cum novus fundi possessor de fructibus præteritis nihil, ut ponitur, perceperit.

247 Respondetur III. Tametsi in multis bene inferatur à fisco ad Ecclesiam, & à Tributis ad Decimas: hoc tamen in ijs solum procedit, ubi id vel expresse statutum est à jure, vel saltem, ubi contrarium statutum non est, & ubi eadem militat ratio, ut bene monet Everhard. *in Topic. loc. 56. n. 17. loc. 57. n. 10. & loc. 61. n. 18*. Atqui aliud statutum est de decimis, quam de tributis: cum Jura sacra decimas illis duntaxat imperent, qui fructus colligunt, & ad quos fructus indecimate perveniunt, ut patet ex *c. 18. 26. & 33. h. t.* De Tributis è contrario declararunt Imp. quod sint onera prædijs in hærentia, & cum his ad quemcunque possessorem transeant. Insuper de decimis non eadem militat ratio, quæ de Tributis. Nam illas Ecclesia ad exemplum Legis Divinæ præcipit: at vi Legis veteris divinæ solum debe-

bantur ab ijs, qui fructus percipiunt; cum horum tantum fiat in Scripturis mentio. Præterea Ecclesia non eodem rigore exigi vult decimas, quo tributa exiguntur; contra easdem consuetudinem ac præscriptionem permittit; privilegio ab iisdem frequenter eximit; personales verò decimas multis aut plerisque in locis omnino nullas exigit. Cum igitur multos, qui fructus colligunt, non obliget ad solvendas decimas, multo minus obligat illos, qui nullos fructus colligunt: quæ obligatio, si daretur, onus, ut diximus, foret gravissimum, ac idcirco apertum aliquod præceptum de illa extare deberet, & non inferri ex qualicunque paritate, quam decimæ cum tributis habent; præsertim cum ea valde manca sit, & in pluribus alijs claudicat.

Neque obstat, decimas magis privilegatas esse, quam tributa, cum solvendæ sint, antequam solvantur tributa, ac consequenter, cum ista sint à successore, à fortiori idem dicendum esse de decimis. Respondetur enim, decimas quoad dictum effectum magis quidem privilegatas esse, non tamen quoad alios quoscunque effectus: nam quoad alios tributa magis, quam decimæ, privilegata sunt, ut dixi *n. 143*. Unde potiori jure à posterioribus effectibus argumentum sumi poterit contra prædictam obligationem,

nem, quàm pro ea sumant Adversarij ex illo effectu priore.

149 Alterum argumentum pro contraria opinione n. 130. allatum, non tam ratio est, quàm probetur assertio, quàm ipsa assertio, quæ probanda foret: dicunt enim, decimas onus esse prædij annexum, ac propterea cum his transire ad novum possessorem. At hoc maximè est, de quo litigatur, nos asserimus, & fusè probavimus à n. 137. esse annexum fructibus, prædij duntaxat medietate. Et hoc sensu locuti sumus, quando supra diximus prædia esse obnoxia oneri solvendi decimas.

150 Ad tertiam rationem n. 131. oppositam R. tametsi bona mariti tacite obligata sint pro dote, juxta c. 5. de Pignor. & pariter bona subditorum taciti pignoris nexu fisco obstricta habeantur l. 1. C. In quib. caus. pign. tac. contr. ita ut fisco omnibus creditoribus etiam expressam hypothecam anteriorem habentibus præferatur. l. 4. C. eod. & l. 1. C. si propt. publ. pensit. Et Ecclesiæ bona Prælati ratione malæ administrationis arg. cit. c. 5. & ibi Gloss. Panorm. ac alij, ac denique pupillo in bonis tutoris tacita hypotheca competat. l. 20. C. de adm. tut. & l. un. §. 1. C. de rei ux. act. non tantùm pro summa principali, sed etiam pro omnibus accessionibus arg. l. 18. ff. qui pot. in pign. Non tamen ex hoc legitime inferitur, bona fidelium tacite obligata esse pro decimis; non enim

quilibet creditor hypothecam habet, sed is demùm, qui convenit de pignore l. 3. ff. qua res pign. oblig. poss. Novell. 136. c. 5. Tacita verò hypotheca ibi tantùm locum habet, ubi legis dispositione expressè constituta est. l. 1. & tot. tit. ff. & C. In quibus caus. pign. tac. contr. Ant. Faber de err. Prag. dec. 1. err. 1. Neguz. de pign. p. 2. mem. 4. n. 1. Carpz. p. 1. const. 5. def. 11. n. 6. Atqui nulla lex vel canon extat, quo constituta sit hypotheca decimatori in bonis fidelium.

151 Neque dicas, hoc ipso constitutam esse Ecclesiæ, quia constituta est pro dote uxori, pupillo, & fisco Principis; eò quòd ab his ad Ecclesiam bona sit illatio, & favor ipsis à lege impensus ad Ecclesias & causas pias extendendus sit, juxta tradita ab Everhard. loc. 60. 61. & 68. Hoc enim tunc solùm procedit, quando utrimque par est ratio. Atqui in nostro casu non est par ratio: quia magna est differentia inter singulos privatos fideles ex una, & ex altera parte inter tutorem respectu pupilli, ac uxorem respectu mariti, quia hi posteriores arctius longè vinculum habent cum suis creditoribus, & specialem, multòque majorem obligationem, quàm universim fideles habeant erga Ecclesiam. Accedit, quòd si bona fidelium specialiter obligata essent Ecclesijs ratione decimarum, favor hic longè major foret, utpote universalissimus, quàm sit favor Ecclesiæ re-

specu Prælati, pupilli respectu tutoris &c. cum ergo à favore, & privilegio singulari, & respectu paucorum concessio, argumentum duci non possit ad favorem universalem respectu plurimarum & personarum & bonorum, consequens est,

eos non bene argumentari, qui ex privilegio Ecclesiæ, dotis, pupilli &c. concessio solum contra paucos debitores, & pecuniaria tantum bona, inferunt privilegium latissime patens adversus omnes fideles, & omnia eorum bona.

CAPUT II.

De Exemptis per Privilegium ab onere Decimarum.

QUÆSTIO I.

An privilegio eximi quis possit à Decimis ?

SUMMARIUM.

- | | |
|--|---|
| 152. Ordo Doctrina. | 162. Facta exemptio, etiam sine causa, valida est, si aliunde sustentatur Clerus. |
| 153. Modi acquirenda immunitatis à decimis, & capita controversa. | 163. Tutus est in conscientia, cui sic concessa est exemptio. |
| 154. Videtur, præceptum de decimis universim tolli non posse. | 164. Prælati SS. Pontifice inferiores nequeunt eam concedere, absque privilegio vel consuetudine legitime præscripta. |
| 155. Tolli valide potest, si aliunde Clerici congruam sustentationem habent. | 165. Possunt tamen decimas sibi debitas ex justa causa remittere, & decretum super transactione interponere. |
| 156. Non tamen licite. | 166. Nequeunt ista Principes seculares. |
| 157. Responsio ad contraria. | |
| 158. Exemptionem etiam laicis concedere potest SS. Pontifex. | |
| 159. Si aliunde provisum est Clero. | |
| 160. Oppositio. | |
| 161. Dissolvitur. | |
152. Innocentius III. cum c. 24. h. t. dixisset, quemlibet teneri decimas solvere, mox addit: nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exemptus. Et infra Nisi ab eis (qui dant, & recipiunt possessiones ad firmam)